ROD. GOCLENII, MED. D. ET Mathem. Professoris ordin. in Acad. Marpurgensi,

ACROTELEUTION ASTROLOGICUM,

Triplex hominum genus circa divinationem ex astris in scenam producens, falsamq; Astrologiam à vera, rationibus, exemplis & experimentis distinguens, contra novas criminationes.

Annexus quoq; est tractatus integer correctior quàm fuit ante

CYPRIANI LEOVITII, MATHEMATICI EXcellentiss. de conjunctionibus magnis, eclipsibus solaribus & Cometis, cum eorundem effectuum historica expositione, ob exemplarium raritatem, rerumq; & historiarum memorabilium excellentiam hoc loco dignissimus.



MARPURGI, apud Paulum Egenolphum.

MDCXVIII.

2

Dup



ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

Dn. JOHANNI GEORGIO,

Principi Anhaldino, Comiti Ascaniæ, Domino in Zerbst & Barenburg, &c. Domino suo clementissimo,

ROD. GOCLENIUS, MED. D,


precatur ineuntis anni, ut & sequentium, felicitatem summam.



ON *puto, Illustrißime Princeps, fuisse ullum seculum contumeliarum & invidiæ feracius, pietatis & sinceritatis sterilius, quàm hoc nostrum. Ita enim invidiæ plena sunt omnia, ut alter in alterius ingenium liveat & grassetur impudenter, & ille qui scribit, multos sumat Rhadamanthos, omnemq; citius literaturam ejurare & nunquam studuisse malit, quàm scripta sua multa industria, crebrisq; lucubrationibus parta, tot invidorum contumeliis arietanda exponere, ni Deus Opt. Max. in tantis humanæ vitæ erroribus, intemerata virtutum, honestarumq; artium Asyla constituisset, Principes scilicet Philomusos, quorum patrocinio atque favore candidus frugiq; scriptor munitus, tutius contra Sycophantarum insultationes insurgere & exire in publicum possit: quod etiam me multum invidorum injurias formidantem commovit, ut Illustr. T. Celß. quæ ve-*

rum virtutum bonarumq́ artium Asylum audit, hoc meum ἀκεσ͂ιελσύπον reverenter inscripserim atq; dedicarim: certò mihi persuadens, si sub Optimi & Literatissimi Principis Serenissimo auspicio in lucem eruperit, ipsum apud bonos viros laudem haud spernendam, famamq́ perennem sit adepturum. Et cur ego hanc de Cels. Tua fiduciam non concipiam, cùm omnia ei adsint, quæ ad tutelarem vim quis sibi vovere possit? Quod si enim in campum laudum C. T. expatiari velim, certè in ipso limine tenuitas me mea remoratur, cùm adeò multa & præclara sint laudum C. T. totiusq́ Inclytæ Ascaniæ gentis ornamenta, ut nihil ei desit, quod vel à natura, vel à fortuna, vel à virtute sit expetendum. Si Excelsissima Cels. T. stemmata intueri velim, tantam deprehendo antiquitatem, sublimitatem, & majestatem, ut revereri ea sit æquius quàm commendatione persequi. Si deniq; præclaras animi dotes, quibus C. T. eminet, lustrare gestiam, ita certatim, ita agminatim, virtutes C. T. sese ostendent, ut, cui illarum primas jure deferre debeam, incertum maneat, & ita silere satius sit, laudesq́ tum Cels. T. tum totius Prosapiæ Anhaldinæ augustissimas, contemplando admirari, quàm minus decenter ac splendidè de iis quicquam effutire. Hæc, inquam, omnia & singula cùm animo pervolverem, sæpius ita me rapuerunt, ut Cels. Tuam aliqua ratione pro virili parte devenerandam esse mecum concluserim, ut ἀκεσ͂ιελσύπον meum Astrologicum C. Tuæ nomine præfulciendum atq; cohonestandum censuerim, ut mihi decretissimum sit, Cels. cùm Tuæ, tùm totius Generosissimæ Ascaniæ Familiæ, nomen & virtutes nullo silentio damnatas, apud omnem posteritatem publico & literario monimento deprædicare. Inprimis verò etiam, Princeps Illustrissime, & alia me ratio movit, vel certè par reliquis, vel non inferior, ut ad Te animum meum converterim, nimirum, quia ex multorum fide dignissimorum hominum relatu, tum verò maximè Illustrissima Agneta Magdalena, singularis, & ferè supra vires humanas Ingenii ac exempli Heroina, cognovi, quantus non solùm sis Musarum cultor & Mecœnas, sed etiam quanto desiderio & amore ingenuarum litera-

literarum, (inprimis verò Astrologiæ, cujus ferè solius cognitio Principem facit inter multos alios eminentem, & admiratione dignum) ducaris, quamq; benevolus sis, humanus & beneficus erga eos, qui in iis excolendis ingenii nervos intendunt. Vt igitur monimentum extaret aliquod publicum gratitudinis illius, quam Vrania cum suis filiabus conjunctissimis, Astronomia & Astrologia, Cels. Tuæ debet, non alienum ab Astrologica & cœlesti honestate ac verecundia esse duxi, hoc ἀκροτελεύτιον Astrologicum Illustrissimæ C. T. consecrare, rogans ea quâ decet animi submissione, ut serena id fronte excipere, animo benigno amplecti, & Auctoritatis suæ præsidio tueri clementer dignetur. Ego vicissim ad omnia officia & servitia quocunq; loco & tempore, humiliter præstanda, me exhibebo quàm paratissimum. Deus Opt. Max. Cels. T. cum Illustrissima Conjuge & Liberis Generosissimis diutissimè sospitet, Spiritusq; sui S. afflatu roboret, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen. Marp. An. 1617. VII. Decembr.



In Acroteleution Goclenianum,

RAPHAELIS EGLINI ICONII,

S. Theol. Doctoris, & Professoris Marpurgensis,

HEXASTICHON.



AUREA flammiferi scrutantes sydera cœli
Altius humanis exeruere caput.
Qualis in Acroteleutio, clarissime Doctor
GOCLENI, Veteres vincis, & arte Novos.
Vinciet ergò tuos crines stellata corona,
Inter & Astrologos jure choragus eris.





AD LECTOREM CANDIDUM.

NON existimabit æquus lector, me ostentatione aliqua aut ingenii fiducia adductum hoc ἀνεξέλεγκτον in publicum emisisse. Sed partim officii mei publici ratio, quod veritati Astrologicæ hactenus pro virili à me propugnatæ debeo, partim etiam novæ criminationes, vel potius sinistræ de Astrologia opiniones, quibus verebar, ne studiosorum optimorum mentes (per aliquot nunc abhinc annos privatim, & diligenter, viam mea operâ præmonstrante, hoc studium excolentium) à cœlestium contemplatione & utilitate abducerentur, facere id me jusserunt. Estq; hoc meum ἀνεξέλεγκτον ad unum tranquillæ mentis portum directum, quo nulli ambitionum venti me compulerunt, navem semper ab argutiarum & vituperiorum Scylla avertentem. Et firma apud me stat sententia, imposterum omnia invidorum σκώμματα & explosiones infracto animo ferre, modò, ut spero, usus aliquis ex meis scriptis ad mortales perveniat. Vale.



ACRO-



ACROTELEUTION ASTROLOGICUM.



RÆCLARE, inquit Alcinous Platonicus, in Aſtronomiam incumbentes, ab iis, quæ oculis percipiuntur, ad inaſpectabilem & intelligibilem eſſentiam deduci: & illum virum eſſe beatum, qui doctrinam aſtrorum didicerit, huncq; ait moderatum, juſtum & utilem civibus futurum. Idem quoq; Aſtronomiæ causâ oculos homini datos eſſe affirmat, graviter ſcilicet ac ſapienter ſignificans, inter omnia corpora nihil eſſe pulcrius, nihil admirabilius, quàm cœleſtia illa lumina, & homines à natura ad hanc pulcritudinem fruendam maximè rapi ac incitari. Ac mihi quidem oculi ipſi convenientiam vel maximam cum ſideribus habere videntur. Ut enim in mundo lucet Sol, ita & in homine, qui Magni mundi eſt exemplar quoddam, ſua quædam ſunt lumina, veluti ſidera condita. Qui itaq; cognata illa lumina faſtidiunt, non conſiderant Naturæ opera, non Dei ſapientiam, quam orodo & harmonia motuum, non potentiam immenſam Creatoris, quam cœleſtium oſtendit corporum Magnitudo, non deniq; ejuſdem bonitatem, quæ in conſervatione tanti opificii elucet, & præcipuè ad hominum utilitatem eſt directa. Et certè digni ob eam cauſam eſſent, quibus oculi eruerentur, cùm ad hanc tam præclaram rem iis uti nolint, ad quam præcipuè ſunt conditi. Quapropter ſumma ope in bene conſtitutis Academiis curandum, ut ſtudium hoc

tanquam

tanquam publicum patrimonium conſervetur, & ad poſteros non acciſum, non contritum, non corruptum propagetur. In qua quidem re, licet multi præclaram operam navârint, adque nobiliſſimæ excelſiſſimæque artis dignitatem tuendam omnem ingenii aciem intenderint, & denſiſſimis ignorantiæ tenebris oppreſſam ad aſpiciendam lucem revocarint, ſemper tamen inventi ſunt, & etiamnum inveniuntur, qui ſine ullo diſcrimine omnem Aſtrologiam divinandiq; artem, ut vanam & temerariam inſectantur, & gloriam quodammodo inde aucupari videntur. Contra quos (quod tamen pace eorum fiet) non parum me gratiæ apud cordatos viros & ſtudioſos initurum ſperavi, ſi proceſſero, oppreſſamq; calumniis artem à maligno dente vindicârim, hoc in apricum apertumq; deducto ἀκροτελευτίῳ: Ad quod etiam ſtudioſorum efflagitationes aſſiduæ me impulerunt, ut, quoniam jampridem alio ſcripto eam defenderim atq; illuſtrârim, ſtylum ad hanc quoq; lucubratiunculam, (quam aſſertionum Aſtrologicarum volo eſſe extremam) reducerem, ſic enim artem priſtinum ſplendorem recuperaturam. Quare parendum oportuit, ne publicam ſtudioſorum utilitatem deſeruiſſe & prodidiſſe videar. Et ſi licet aliis ſiniſtrè & ἀπαιδεύτως de Aſtrologia ſentire, cur mihi non dextrè eam defendere?

Tria autem ſemper extiterunt, & etiamnum exiſtunt hominum genera circa prædictiones Aſtrologicas. Primum eſt eorum, qui cœleſti aura non afflati miſeris modis Aſtrologiam flagellarunt, prædictionesq; in univerſum rejecerunt & damnârunt, dum apertè à natura aſtrorum alieniſſimas eſſe virtutem movendi & afficiendi hæc inferiora negarunt, ſuperſtitioſum eſſe ajentes, Orionem appellare nimboſum, arcturum procelloſum, cœlumque ſerenum aut pluvioſum ex aſtrorum motu & poſitu prędicere. Unde magnos criminationum nimbos

pos in eam effuderunt, omnibusq; telis, tormentis & arietibus, quos nulla humana vi elidi unquam posse, aut acumine eludi putarunt, impugnarunt, inter cujus porticus tibicines est miserum illud Astrologorum flagellum, Picus Mirandulanus, (vir alioqui doctissimus) qui multos post se reliquit Astrologię mastiges. Sed cum his multum litigare animus non est, nec etiam eos refutare. Ostendi enim Solem & Lunam sibi postulant. Propter tamen simpliciores & imperitiores quædam præterita non oportuit, ad influxum stellarum in inferiora omnia corpora clarè demonstrandum, quibus præmissis, Astrologiam eruditæ physices partem esse liquidò constabit. Cyclops ille Homericus barbarico fastu turgens exclamat, se neq; Jovem, neq; fulmina ejus reformidare. Quod hominis monstrum imitari mihi videntur, qui artes omnes, & inter has eam, quę astrorum effectus tradit, spernunt, & odiosè exagitant. Sed quemadmodum Cyclops ille non multò post ab Ulysse excœcatus, & passim in tenebris palpitando oberrans, pœnas dedit contemptus Dei, & operum ejus justissimas, ita hi, qui Astrologiam Magicis & superstitiosis artibus ineptè commiscentes invidiosissimè ad vulgus traducunt, nec cum ratione & consilio quicquam instituunt, tandem incidunt in tristes calamitates, quibus sæpè alios secum involvunt, cladesq; publicas accersunt Reipubl. aut toti etiam genti.

Principiò igitur certis & indubitatis experimentis constat, sidera habere aliquos effectus, influxumq; & virtutem in hæc inferiora, ea scilicet alterandi, variisq; modis afficiendi. Quod si verum, ut certè est, Astrologia erit pars physices, perinde ut prædictiones Medicorum & agricolarum. Sumamus duo clarissima sidera, Solem & Lunam. An non vices æstatis atq; hyemis Solis accessu & recessu fiunt, Solisq; lux calefacit atq; desiccat? An non ad Lunæ incrementa & decrementa ge-

nerales Medicorum & agricolarum regulæ præſcribuntur, abſurditatis aut impietatis nihil continentes, ab illis quidem in detrahendo ſanguine vel per venæ ſectionem, vel per ſcarificationem, ab his verò in cædendis lignis, ſerendis ac tranſplantandis plantis? An non manifeſtis in natura rerum teſtimoniis clarum eſt, atteſtantibus etiam idipſum Ariſtotele, Plinio, Gellio, Plutarcho, carnes Lunæ expoſitas citius putreſcere, quàm in Sole, propterea quòd calor Lunæ ſit mollior & languidior, humores non exiccans, ſed potius augens vel reſolvens. Infantes quoq; Lunæ oſtentati aut ſubjecti, quia humorum pleni, ſolent convelli, humoribus ſcilicet commotis: & in Luna decumbentes, capite non probè tecto, quaſi attoniti ſurrexiſſe viſi ſunt, humoribus ſcilicet cerebri per Lunæ radios diffuſos. Eâdem de cauſa oſtracea ſeneſcente Luna tabeſcunt, quę adoleſcente illa & augeſcente gliſcunt, teſte Gellio l. 20. c. 7. In arboribus præterea & ſtirpibus lunæ calor humorem nativum reſolvit & colliquat. Unde fabri lignarii & architecti ligna plenilunii tempore non cædunt, ſed lunâ decreſcente, cùm ſcilicet jam deteritur lumen, ajunt optimè cædi materiam, quæ tunc areſcat, nec carie facilè computreſcat. Cœlius Rhodig. l. 2. c. 3. Noctes quoque in plenilunio calidiores eſſe tradit Ariſtoteles, propter Lunæ lumen, unde etiam piſces ad ſuperficiem aquarum commeant. Idem tempus frigidius & humidius eſſe ait, lunâ decreſcente, quàm eadem creſcente, 4. de gener. ani. c. 2. Lunam item in priori dichotomia plus excalfacere & humectare, quàm in altera, cùm ſcilicet lumen tendit ad defectum, experientiâ innotuit. Conſentit Plinius l. 2. c. 99. & 101. Et cap. 99. hominis etiam ſanguinem cum lumine lunæ augeri, minuiq; teſtatur. Quin & maris fluxum atq; refluxum eidem lunæ tribuunt, Strabo l. 3. Plinius l. 2. cap. 97. Ptolom. l. 2. Τετραβίβλ. Ariſtoteles l. de mund. Plutarch. l. 3. de plac. in fine. Addo his

D.Ba-

D. Basilii autoritatem, (quem tamē pars adversa ut maximum suæ opinionis patronum adducit) qui beneficas lunæ vires deprædicat his verbis: Animaliū corporibus cæterisq; è terra nascentibus non mediocriter conducunt lunæ mutationes. Nam alio modo corpora decrescente ipsa, aliter crescente ipsa afficiuntur. Cùm enim minuitur, fiunt rara atq; inania, cùm verò crescit, adq; plenum properat orbem, rursum replentur, propterea quòd humorem quendam cum calore mixtum in profundum usq; ipsis immittit. Declarant hoc ita esse, qui sub luna dormiunt, quorum laxa capitis spacia opplentur superfluo humore: tum recens jugulatæ pecudis carnes, quæ impressione lunæ celeriter mutantur, itemq; animalium cerebra, & animantia marina, quæ sunt humidissima, arborumq; medulla. Præterea affectiones aëris istis lunæ mutationibus subjacent, sicut testantur repentinæ procellæ, quæ circa novilunium plerunq; à serenitate & tranquillitate ventorum oriuntur, quando & flatu nubes exagitantur, sibiq; occursant: item æstus maris accedentes, recedentesque partim in Euripis, partim in Oceano, quos accolæ observârunt lunæ exactè sequi circuitus. Nam Euripi secundum lunæ facies in alterutram partem per vices recurrunt: in coitu verò ne minimum quidem temporis quiescunt, sed agitatione & libratione continua versantur, donec rursus emergens luna quandam vicissitudinem fluxus ac refluxus præbuerit. Ac occiduum mare æstus sustinet nunc subsidendo, nunc rursum inundando, proinde ac si respirationibus lunæ retraheretur, iterumq; expirationibus ejusdem ad proprium statum retruderetur. Hæc Basilius verè & rectè. Nam si tanta est sideris vis in vastum & magnum Oceanum, negari non potest, ejusdem etiam influxus in cerebra & humores animalium. Nec verò dubium est, ut Solis & Lunæ, ita & cæterorum Planetarum lumen aërem, ac corpora nostra miris

modis afficere & diſponere. Nam ſi hæc manifeſta ſunt in Sole & Luna, cur Saturnum, Jovem, Martemq; putemus fruſtrà eſſe condita? Pertinacis igitur ingenii ſignum eſt, imò Bœoticæ ruditatis, aſſeverare, Deum ſtellas in nullum alium uſum condidiſſe, niſi ut lucerent noctu, & facem quandam hominibus atque animantibus præberent, ad quæ omnia præſtanda Sol & Luna ſatis fuiſſent.

Statuendum igitur, & firmiter tenendum, Jovem, Saturnum, cęterasq; ſtellas non fruſtrà eſſe conditas, ſed ſingulas peculiaribus viribus à Deo eſſe ornatas, quas in ſublunarē mundum ejaculantur. Et ita conditus eſt homo, non ut pulcerrima hæc corpora tantùm aſpiciens, ut vacca portam albam, voluptatem momentaneam & fugacem ex lucis uſura caperet, ſed ut ſapientiam & potentiam Dei in his operibus inveſtigaret, eamq; deprehenſam perpetua animi gratitudine celebraret. Nam motuū cœleſtium, effectuumq; motus iſtos conſequentium contemplatio ad agnitionem Dei perducit, utq; homines in pietatis cultu proficiant, certiſſimis hiſce providentiæ teſtimoniis ſe exuſcitant. Faciebat id David, cùm diceret: Quoties aſpicio cœlum opus digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quas tu firmaſti, atq; ita concinnè in ſuis domiciliis depoſuiſti, toties ſubit animum meum hæc cogitatio: Quid eſt homo, quòd memor es ejus? & filius hominis, quòd curam ejus agis. Sic Pſal. 19. Solem, cæterasq; ſtellas, perpetuos & canoros providentiæ divinæ facit præcones. Et Jobus aſſiduus eſt in celebranda Dei potentia, quæ nullibi magis quàm in aſtris, horumq; efficacia deprehenditur. Ac operæ hîc pretium eſt, inſignia teſtimonia proferre, quibus oſtendatur, elementa, & ſublunaria corpora perpetuò affici, varieq; diſponi à corporibus cœli, àq; horum diverſo poſitu varias & diverſas effectiones hominibus denunciari.

In procinctu autem est dictum Gen.1. basis & fundamentum totius Astronomiæ, atque inde dependentium prædictionum Astrologicarum: fiant luminaria, ut sint in signa, & tempora, & annos, & dies: quo dicto non tantùm temporum, annorum & dierum discrimina motu stellarum designantur, sed etiam, ut hominibus sint signa, & notæ rerum, ex quibus quædam futurorum sumerent argumenta: quamvis nonnulli, doctrinam de motibus & effectionibus corporum cœlestium fastidiosè deridentes, dictum hoc pravè interpretentur, cùm hæc verba, ut sint in signa, & tempora, & annos, & dies, quæ & distinctivè scribuntur & accipienda sunt, ita confundunt, ut posterioribus tribus vocabulis signorum officium & naturam notari existiment, cùm manifestum sit, propriè & principaliter per vocem SIGNI, tale quid denotari, quod futurum aliquid prænunciet, non tantùm quòd rem præsentem indicet, ut cùm fumus è camino erumpens, ignem designat. Ipse Christus, positâ una signorum specie pro toto physicarum observationum genere, ait, homines ex cœli facie futuras tempestates rectè prædicere. Atqui hanc esse genuinam dicti Mosaici sententiam Augustinus quoq; observavit, cùm scribit: Signa dici corpora cœlestia, quòd vitæ usibus necessaria designent. Quam sententiam approbat doctissimus Philo, quem Eusebius in scripturis explicandis ob judicii acumen laudat, & Hieronymus ob variæ eruditionis copiam referre in Catalogum Ecclesiasticorum scriptorum non dubitat. Verba autem Philonis sunt hæc: Factæ sunt, ut Deus ipse ait, non solùm ad lucem emittendam, sed etiam, ut futura præsignificent: aut enim ex ortu & occasu earum, deliquióve, aut occultatione, emersionéve, aut aliis motuum differentiis, homines de futuris conjiciunt & præsagiunt copiam inopiámve fructuum, vel pestem animantium, serenum, nubilumque cœlum, tranquillitatem

aëris, procellas ventorum, inundationes, &c. ut ita rectissimè dictum sit, stellas esse in signa factas, & etiam tempora.

Jobi 38. dicit Deus: Scisne leges cœli, tune potestatem cœlo daturus es, quam habet in terram? Ex quo loco liquidissimè apparet, cœlum habere leges & potestatem in terram: indicat enim hic textus potentiam, quam Deus corporibus cœlestibus indidit in elementarem hunc mundum transfundendam.

Apud Malach. Prophetam legitur: Sanitatem esse sub radiis Solis, quos alas venustè appellat, atque his foveri & conservari hominum incolumitatem affirmat. Et David Psal. 121. ait: Per diem Sol non te lædet, neque Luna per noctem: ex quibus scripturæ locis stellis inditas esse virtutes à Deo constat, quibus non tantùm aër variè afficitur, ut rudiores quidam putant, sed etiam homines.

Jerem. 10. legitur: à signis cœli nolite timere, quæ timent gentes. Etsi autē hoc dicto prognosticum astrologicum Scioli quidam planè Elisum atq; Elusum putant, tamen si paulò attentius aspiciatur, quilibet, modò ἀῤῥωστίᾳ τῆς διανοίας non laboret, intelliget, Astrologiam eo ipso magis confirmari. Signa nominantur: ergò portendi his aliquid designatur: non enim Propheta vult ea contemni, aut Epicureorum more deludi, sed Deum propter hæc signa solum esse timendum. Nolite igitur timere signa, sed potius Deum, signorum autorem, & stellarum opificem, qui suam iram & judicium per illa signa denunciat: quantum enim prodigiorum, Eclipsium, magnarumque conjunctionum antecesserit Excidium Hierosolymitanum, historiæ testantur, quæ certè non casu proveniebant, sed eam ipsam ob causam à Deo producebantur, ut populo isti horrendas clades annunciarent.

Lucæ 12. dicebat Christus ad turbas: Cùm videritis nubem

bem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis, nimbus venit, & ita fit, & cùm auſtrum flantem, dicitis, quòd æſtus erit, & fit: Hypocritæ, faciem cœli & terræ noſtis probare, &c. quo dicto colligitur, tunc temporis etiam ſigna ſumta eſſe ex cœlo & nubibus.

Matth. 17. legimus, curaſſe Jeſum lunaticum, qui ſæpè cadebat in ignem, & crebrò in aquam. Is dubio procul ſecundùm motum Lunæ fuit correptus. Unde neceſſariò ſequitur, Deum Lunæ vires peculiares in morbis excitandis indidiſſe, & ſecundis cauſis in hæc inferiora poteſtatem permiſiſſe, iisque tanquam inſtrumentis etiamnum uti. Eſt enim cœlum ſynergon Dei. Hæc ſunt teſtimonia S. Lit. Audiamus porrò etiam teſtimonia Scriptorum Eccleſiaſticorum & Patrum, ut & noſtri ævi inſignium quorundam virorum, ut Aſtrologicæ divinationes magis ſtabiliantur & confirmentur.

Baſilius Magnus lib. hexameron, homil. 6. Et ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos: neceſſariæ profectò ſunt luminarium in hominum vita ſignificationes: nam ſi non ultra modum ſigna quiſpiam, quæ ab ipſis proficiſcuntur, exploret, utiles ipſorum obſervationes eas invenerit, quas experientia longa probavit. Quanto autem ſint emolumento vitæ humanæ, quantamq; utilitatem eidem præſtent, tales ex hiſce luminibus obſervationes quis ignorat. Idem de 4. anni temporibus tractans ait, hæ temporum viciſſitudines, hæ varietates, Solis motiones conſectantes, vitam nobis, & quæ ad vitam ſunt neceſſaria, diſponunt atq; adminiſtrant.

D. Ambroſius l. 4. hexam. c. 4. Quomodo luminaria facta ſint in ſigna, non poſſumus negare, quod ex Sole & Luna aliquot ſigna colligantur. Nam & Dominus dixit: Et erunt ſigna, in Sole, Luna, & ſtellis. Sed in ſequentibus reprehendit abuſum illorum, qui volunt, hæc ſigna afferre naſcentibus neceſſitatem quandam, cùm paucos nunc eſſe arbitror, qui hoc credunt *Dignus locus conſideration[e]*

dunt

dunt (neque ego id unquam credidi) ſed inclinationem vel ſignificationem quandam afferre à neceſſitate liberam. Relicta enim nobis eſt libera voluntas & electio, &c.

Auguſt. de civitate Dei. Non uſquequaque abſurdè dici poteſt, ſolùm ad corporum differentias afflatus quoſdam ſidereos pervenire: & ideò ſi aliquis judiciis aſtrorum utatur, ad prænoſcendum corporales effectus, puta tempeſtatem & ſerenitatem aëris, ſanitatem vel infirmitatem corporis, vel ubertatem & ſterilitatem frugum, & ſimilia quæ ex corporibus & naturalibus cauſis dependent, nullum videtur eſſe peccatum. Nam omnes homines circa tales effectus aliqua utuntur obſervatione corporum cœleſtium, ſicut agriculæ ſeminant, & metunt certo tempore, quod obſervatur ſecundum motum Solis. Nautæ navigationem vitant in plenilunio, vel etiam in Lunæ defectu. Medici circa morbos certos dies obſervant, qui determinantur ſecundum motum Solis & Lunæ. Idem Januarium ſcribens, dicit: Non autem quiſquam Sapiens obſervatores temporum reprehendendos, quia dicunt: Non proficiſcar hodie, quia tempeſtas exorta eſt, &c. vel ſi qui fortè alii naturales effectus circa motum aëris & humoris ad variandas temporum qualitates ex ſiderum ordinatiſſima converſione notati ſunt, de quibus dictum eſt, cùm conderentur, ut ſint in ſigna, & tempora, &c.

NB.

Chryſoſtom. homil. 6. in cap. 1. Geneſ. Quid eſt in ſigna, & in tempora, & in annos, & in dies? Docere nos vult divina ſcriptura, quòd horum curſus Scientiam nobis concedit temporum, & viciſſitudines verſionum, numerum dierum, anni curriculum, & ex his poſſumus dignoſcere omnia.

Origenes in tomis ſuper Geneſ. referente Euſebio lib. 6. de præpar. Evangel. c. 9. cùm primum caput exponeret, ſtellas dicit à Deo poſitas in cœlo, ut eſſent in ſigna, hoc eſt, ut per varios

rios eorũ aſpectus & conjunctiones ſignificarent univerſas & ſingulas humanarũ rerum cauſas, nõ tamen efficerent. Depinxit enim Deus in ſtellis ſignificationes & rationes omnium futurorum humanæ generationis eventuum, ut virtutes ſupernorum ſpirituũ in iis, veluti in libris legerentur, quæcunq; hominibus, citra tamen ullam liberi arbitrii coactionem, per ſingula temporum intervalla eſſent eventura, & inde aliquam hujus ſcientiæ partem, quæ humani ingenii vires excellit, hominibus, ſtellarum obſervatoribus revelarent: atq; ſecundum hunc ſenſum putavit Origenes intelligendam eſſe ſententiam quandam in libro, cui titulus eſt: Narratio Joſephi, olim apud multos Catholicos in autoritatem recepto, in quo Jacob Patriarcha introducitur ad filios ſuos dicens, Legi in tabulis cœli, quæcunq; ſunt eventura vobis & filiis veſtris.

Johannes Zonaras dicto quoque Moſaico lumen affert, dum inquit: Quartus dies ortum habuit luminum, Solis, Lunæ, ac reliquarum ſtellarum, atq; his opifex cœlum exornavit, iisq́; motus, exortus, curſus, & occaſus deſtinavit, ut terrę ambitus per ea illuſtraretur, & menſura temporis à circuitibus eorum peteretur, præberentq́; iis, qui exortum eorum rectiſſimè obſervarent, magnam, minimeque fallacem certitudinem & utilitatem.

Nec diſſentit Matthæus Beroaldus: Principio Deus Opt. Max. creatis cœlis, deinde affixis iis ſideribus, quorſum illa condidiſſet, ex ſuo verbo demonſtravit, cùm Solem interdiu lucem præbere mortalibus, Lunam autem cum reliquis ſtellis noctu idem præſtare juſſit. Adhæc iſta voluit eſſe in ſigna, tempora, dies & annos, ut Geneſ. 1. perſpicuè docetur: Et ſigna quidem, quæ ſcriptura dicit othoth, intelliguntur prognoſtica tempeſtatum, quæ à nautis, agricolis & medicis obſervantur. Nam vergiliarum, Arcturi item, Orionis & Caniculæ, ſimi-

liumq; ortus & occaſus, inſignes temporum converſiones notant. Ex quo non fruſtrà talia animadverterunt artifices, qui tempeſtatum ſignificationibus, ſua maturant vel differunt negotia, aut ea curant in tempore. Et ea quidem nota & obſervata fuiſſe populo Dei, teſtatur locus ille apud Jobum & Amos.

Eodem encomio ornarunt artem Michaël Glycas, & Ægydius Columnus Cardinalis. Aliquid prævidere, inquit Glycas, deq; ſignis quibuſdam id, quod futurum ſit, obſcuriuſculè conjectare nos poſſe, citra contradictionem omnem fatemur. Nam in rebus adeò manifeſtis diu ſanè reſiſtere nequeamus. Quanquam enim homo in paradiſo peccavit, quanquam conceſſum ſibi vaticinandi munus atq; beneficium amiſit, non tamen miſericors ille Deus prorſus eum ſimilem evadere brutis permiſit. Quo fit, ut ſigna quædam ei ſuppeditet, de quibus interdum futura proſpiciat, eoq; pacto ſecuritati ſuæ conſulat.

Columnus Cardinalis: Non tantùm luminaria cœli ſunt ſigna inferiorum, ſed etiam cauſæ, ut, quando rutilat cœlum, prognoſticamus ſerenitatem, & ſic corpora cœleſtia non ſolùm ſunt cauſa iſtius rubedinis, quæ eſt ſignum ſerenitatis, ſed etiam ſunt cauſæ ſerenitatis, ideò tam ſunt ſigna quàm cauſæ, ita, ut negare, corpora cœleſtia habere effectum in hæc inferiora, ſit negare ſenſum communẽ, cùm ſenſibiliter experiamur, quòd Sol nos calefaciat, & Luna nos infrigidet.

Idem alio loco: Eſt cœlum primum in univerſo, ut Rabbi Moſes ait, ſicut cor in animali, cujus motus ſi ad horam quieſceret, ſtatim finiret animalium vita, & ſic eſt quaſi quædam vita in univerſo, quòd res ſic agunt, & patiuntur invicem.

Plato in Timæo vitam nobis corpoream à ſtellis infundi affirmat: ſiderumq; circuitus efficere varias vices, non ſolùm animantium corporibus & vitæ, ſed etiam univerſæ naturę rerum, Imperiis & Rebuſpub. & quemadmodum agricolis præcipi-

cipitur, ut tempeſtatum ſigna obſervent, ita in Republica Magni viri mutationum ſigna intelligere debent, & conſiderare.

Ariſtoteles in Meteorolog. Mundus hic inferior eſt contiguus ſuperioribus lationibus, ut vis ipſius univerſa inde gubernetur.

Plinius l. 2. ſuæ natur. hiſtor. Conjunctiones & aſpectus luminarium Planetarumq́;, ſecundum affectionem ſtellarum fixarum, prope quas contingunt, alios atque alios inducunt effectus.

Seneca ad Martium: Vides micante uno ſidere omnia impleri: Solem quotidiano curſu diei noctisq́; ſpacia ſignantem: vides Lunam ſucceſſione à fraternis occurſibus, lene remiſſumq́; lumen mutuantem, & modò occultam, modò toto orbe terris imminentem: vides quinq; ſidera diverſas agentia vias, & in contrarium præcipiti motu nitentia. Ex horum leviſſimis motibus fortunæ populorum diſponuntur, & maximæ ac minimæ inde formantur, prout æquum iniquúmve ſidus inceſſit.

Hippocrates libro de aëre, aqua, & locis ait: Oportet medicum aſtrorum ortus & occaſus obſervare, (præcipuè verò canis, arcturi, Plejadum) morbi enim in his judicantur maximè, alii enim perimunt, alii deſinunt, aut in aliam ſpeciem ſtatumq́; mutantur. Vide l. 3. aphor. & Galen. in 3. comment. l. 1. epidem. qui præter alia graviter reprehendit, negantes inferiora corpora affici à cœleſtibus corporibus, aitq́; Sophiſticum eſſe, manifeſtam negare experientiam. Idem Galenus in arte medicinali, ab aëre affici & mutari ſubſtantiam corporis noſtri apertè ſcriptum reliquit.

Hermeticum pronunciatum eſt: Solem & Lunam, poſt Deum omnium viventium eſſe vitam.

Lucius Columella ſingulos dies Aſtronomica ratione ob-

ſervari præcepit, tum propter rei ruſticæ utilitatem, tum propter pericula quamplurima evitanda, quæ moniti à peritis ejus diſciplinæ cavere poſſumus.

Thomas Aquinas: Ex Aſtrologia prædicere poſſumus diſpoſitionem corporis, motum ſenſuum, ac res varias, aliquo
NB. modo etiam intellectum, nam corruptis ab aliquo aſtro ſenſibus, intellectus etiam patitur: voluntas autem nullo modo attingitur, liberaq; ſemper & incolumis permanet. Ac congruunt cum hac ſententia Damaſcenus, Scotus, & plures alii.

Antonius Archiepiſcopus Florentinus tit. 12. paragr. 6. corpora cœleſtia imprimunt in corpus humanum, & per conſequens in potentias ſenſitivas, quę ſunt affixæ corporeis organis. Vires autem ſenſitivæ, ubi ſurgunt, paſſiones inclinant ad actus rationem, non tamen cogunt.

Leonhardus Varius Boneventanus, Ordinis S. Benedictini: Deus regit inferiora per ſuperiora: ex prædictis enim clarum & manifeſtum eſſe conſtat, cœlum & ſidera in hæc inferiora corpora, motu & lumine concomitante agere, quæ quidem actio regimen & gubernatio appellatur, Dei voluntate ſic imperante atque ordinante, ut ſcilicet ſuæ divinæ virtutis cœlum eſſet univerſale inſtrumentum.

Franciſcus Patritius dialog. 3. Eſt certò certius, quod infe-
NB. riora hæc ſuperiorum facultate gubernantur. Nam & bella ipſa quadam aſtrorum vi moventur, quæ hominum corda calefacit, & ad vindicandum excitat. Manifeſtumq; eſt etiam, famem atq; peſtilentiam aëris vitio generatas ex cœleſti lumine habere originē, nec aliunde terræ motus hiatusq;, modò hoc, modò illo loco generari. Sunt enim terræ ſpacia certis cœli regionibus diſtincta, hæcq; ſubjecta certis luminum aſpectibus, qui tempore & cœleſtium orbium converſione producuntur, & in ſubjectam regionem, eos quos dixi effectus immittunt.

Appia-

Appianus in Cęſareo Aſtronomico. Apud omnes in confeſſo eſt, aſtra quædã divinæ virtutis eſſe inſtrumenta, per quæ univerſum illud gubernari credimus. Siderum enim opera, effectus ſeu inclinationes ſeu influentias dicas, divinæ providentiæ quædam eſſe documenta, quis eſt qui neget? Cùm nihil non in hoc mundo juxta aſtrorum diſpoſitiones effici videamus, quamvis omnia in Deum referri ſoleant. Quemadmodum autem non ſecuri operis cujuſdam ſtructuram tribueris, ſed fabro, qui hac utitur: ſic aſtrorum effectus, qui motus eorundem conſequuntur, non ipſis aſtris, ſed Deo illa regenti, gubernantiq; cauſæ, veluti primariæ aſſcribere debemus. Hujuſmodi aſtrorum curſus & motus multiplices, nobis cum Deus Opt. Max. patefaciat, cœlumque ipſum tanquam librum apertum, in quo futura per ſtellarum & luminarium tranſcurſus, ſignificantur, recludat, pauca & nos ſuper his, quæ ex eo nobis libro collecta ſint, dicere inſtituimus. *NB.*

Henricus Ranzovius lib. de conſervanda valetud. Secunda cauſa morborum, & deſtructionis depravationisq; corporum noſtrorum, eſt ſiniſter & malevolus ſiderum cœleſtium influxus, temperamentorumq; infelicitas. Nam uti ſingulis rebus proprietates certæ ſunt ingenitæ, quas Deus ab æterno naturalibus effectibus coaptavit: ita ſingularis quoq; efficacia & vis divinitus inſita eſt corporibus cœleſtibus, quæ Deus non propterea tantùm certo ordine ac magnitudine creavit, ut annos, dies, & menſes diſcernerent, ſed ut eſſent quoque nobis ſigna, ex quibus quædam rerum futurarum caperemus argumenta. Pendent enim inferiora ex ſuperioribus, & terrena à cœleſtibus & cognatione quadã mutua inter ſe continentur. Proinde corpora ſuperiora occultam quandam vim & virtutem in hæc inferiora infundunt, per quam humores in corporibus noſtris mutantur, corrumpuntur, augentur, & diminu- *NB.*

untur, ſecundum ſiderum poſitum & qualitatem. Et hoc quotidiana experientia, certiſſima omnium rerum magiſtra clarius evidentiusque docet, quàm ut ulla demonſtratione egere videatur. Ac ſi fidem quis dictis adhibere noluerit, Lunam mihi conſideret, quæ præcipuum ſibi in humores dominium vindicat: creſcente enim ipsâ, creſcunt & humores, ſanguis & medulla in homine & beſtiis. Cùm igitur conſtet, humores in corporibus noſtris regi à ſuperioribus, ex malis autem corporum humoribus oriri morbos, ex his interitus, non immeritò ſanè mortis & cæterorum morborum cauſa in corpora cœleſtia aliqua ex parte refertur.

Richardus Dinothus Normannus de Aſtrologia: Stellæ ſua quantitate, lumine, ſitu, curſu, movent atque ordinant omnem mundi materiam, & locum eorum, quæ oriuntur & intereunt. Quocirca Aſtrologiæ ſtudium apprimè utile, & decorum cenſendum. Qui putant inquiſitionem aſtrorum ſecretarumq; virium ac influxionum ipſorum, Dei providentiæ derogare, maximè falluntur. Nam ipſius Dei Majeſtas magis illuſtratur, cùm tam magnas res eum per creaturas ſuas efficere intelligimus.

NB. Lector.

Chriſtophorus Milæus: Cùm Aſtrologi in terrena diverſos effectus mutua quadam atq; ea naturali aſtrorum conſenſione & concordia influere cognoſcerent, frequenti reditu obſervatæ ab iis ſunt rerum converſiones, incrementa atq; inclinationes, quæ præſentiri ac prædici ab iis poſſunt. Cujuſmodi videmus ſerenitatis & tempeſtatum ſigna, ſterilitatis ac fertilitatis tempora, quæq; ad agriculturam exercendam pertinent, ut ſunt arationis, inſitionis, condendi, exſcindendi ligna aut ſaxa: etiam ad navigationum peregrinationumq; oportunitates, & idonea medicorum ad curationes tempora deligenda. Ex eadem cœleſtium conſenſione, cùm iidem multos eventus,

ſimilitudine ducti inter ſe conferrent, ex ſiderum, quæ natalitia vocant, ſitu inquiſiverunt, quę cuique eventura, quo quiſq; fato natus eſſet, ut inde mores, ingenium, corpus vitę actiones, & ad quam maximè rem quiſque aptus futurus ſit, cognoſcerent. Poſt accommodata actionum diverſarum tempora, res calamitatum prænuncias, bella, morbos, eluviones, æſtus ingentes, terræmotus, graves etiam Rerumpubl. commutationes, quæ nulla cognitione hominibus conſtare poſſe videntur, inveſtigare ſolent. Omnis autem de aſtris ſcientia, utrumque Aſtronomiæ & Aſtrologiæ nomen habuit, in qua Magni, etiam Principes viri ſtudioſè ſunt verſati. Antiquiſſimis namq; temporibus maximi & divini honores eidem communibus animis deferebantur, earumq; rerum contemplatoribus atq; amplificatoribus ſumma præmia publicè ſolita erant proponi.

Cornelius Gemma Lovanienſis: Ex aſtrorum influxu, ſi methodus adſit, plurima præſagiri puto, quæ ad naturam corporis ac temperamentum pertinent, quæq; ad valetudinis ſtatum. Quæ verò ad propenſiones animorum ad hæc vel illa ſtudia, & vitiorum ſemina referuntur, ſignificari interdum, ſed majori virium interſtitio, quo plurimum enervantur, ac veluti ex accidente pertingunt, præſertim quando immutent amplius parentum indoles, patria, conſuetudo & educatio: porrò quod reliquum eſt, electiones operum in pluribus valent.

Joh. Bodinus: Licet igitur, ſemperq; licuit cœleſtium luminum virtutem inquirere, modò in cauſis naturalibus conſiſtatur. Nam in eo verſatur Dei gloria, quòd per creaturas ſuas facit res tam mirabiles. Hæc fuit ſententia quoque Damaſceni, Thomæ Aquinatis libro de ſortibus, & altero de judiciis Aſtrologicis: atque etiam Scoti. Et verè Aſtrologia cœleſtium effectionum notitia, à Deo donata eſt. Sed Deus eſt ſuperior omnibus iſtis, & qui confidit Deo, hic nihil ab aſtris debet metuere. *Aſtrologia quid?*

Sixtus

NB. Sixtus ab Hemminga, Nob. Frisius, in Epist. ad Henr. Ranzovium: Cœlum expansum, & infinitis luminibus exornatum, repręsentat nobis imaginem æternitatis, sed cujus literas, lectionem & intelligentiam perfectè non tenemus. De effectu siderum autem in elementis, & iis quæ ex elementis constant, meritò nihil addubitamus, sed cujus minimā tantùm partem percipimus, non talem, neque tantam, quæ per deductionem causarum ex effectibus, ad perfectam futurorum cognitionem nanciscendam, sufficiat.

Astralem deniq; & verè spectabilem hunc chorum claudet Lambertus Danæus in sua phys. c. 31. ubi dicit, corpora superiora esse inferiorum, maximè terrenarum, tum gignendarum, tum conservandarum, tum etiam terminandarum & finiendarum causas quasdam secundas, quibus Dominus ordinariè quidem utitur: quanquam eas tamen cùm illi visum est, prorsus omittit, &c. Et paulò post: Non modò superiora sunt ista corpora cœlestia, sed etiam vi quadam sibi à Deo infusa in res istas inferiores temperamenta & qualitates partim injiciunt, partim movent & excitant, per quas istæ res terrenæ vel producuntur, vel conservantur, vel etiam flaccescunt, marcescunt, tandemque intereunt & corrumpuntur. Has qualitates ex istis corporibus dependentes ac defluentes influentias appellant, quæ non ex elementari regione in cœlestem ascendunt, sed ex cœlesti illa & superiori in hanc terrenā descendunt.

Possent plura hujusmodi testimonia in medium afferri, sed puto hæc sufficere stolidæ & rudi turbę astrorum influxum ridenti. Si enim significationes istæ considerandæ non essent, non etiam in cœlo divinitus forent scriptæ & pictæ. Jam autem Deus signa & notas cœlo impressit, ut Rebuspubl. denunciarent ingentes casus, calamitates & excidia. Eclipses siquidem,

dem, Conjunctiones, Cometæ & alia prodigia, quid ſunt aliud quàm oracula Dei, quibus minitatur vitæ hominum ingentes & calamitoſas mutationes. Hæc qui contemnit, Dei monitiones ſpernit, invertitq́; naturæ ordinem, & labefactat certitudinem actionum admirandorum operum Dei, quæ contemplari & intelligere ex certorum ſignorū objectu, ſapientia eſt, Deo ejusque verbo non repugnans. Sed forſan hîc regerent, cœleſtium corporum vim & influxum in hæc inferiora ſe non negare, nec damnare illos Aſtrologos, qui ſiderum motus, diſtantias, progreſſus, regreſſusque metiuntur & inveſtigant, ſed eos, qui de particularibus hominum eventibus ex ſiderum poſitu judicant & pronunciant, tales enim à Scriptura damnari, talemq́; Aſtrologiam ſeverè prohiberi. Verùm de hoc prætextu paulò poſt, tantum enim abeſt ut Aſtrologiam falſitatis arguat, ut contrarium potius demonſtret.

Pergo nunc ad illam turbam hominum, qui omnium hominum fata, omniumq́; quæ eveniunt rerum cauſas protinus è cœlo deduxerunt, nec cavere ſibi à vi & poteſtate ſiderum quenq́; poſſe arbitrati ſunt, ſtellasq́; eſſe quaſi tela & arma fati, cujus arbitrio efficiantur cuncta. Inter hos primi fuerunt plerique Chaldæi ac Ægyptii, qui genituras hominum ſtellis alligarunt, & voluntates etiam humanas illis mancipârunt, aſtrorumq́; ſignificatis tanquam edictis aut decretis prætoriis homines aſtrinxerunt, primos parentes nō Diaboli ſolùm inſtinctu & aſſenſu liberæ voluntatis ruiſſe in peccatum, ſed etiam ſiniſtro ſiderum impulſu aſſeverarunt. Hæc eſt genethliaca illa Aſtrologia à Patribus, Principibus, Philoſophis, Oratoribus atque Poëtis, ut vana & impia rectè damnata & impugnata, hanc ipſe, ut ordini divino contrariam, damno. Cùm enim Deus perfectiſſimam habeat futurorū ſcientiam, ſolusq́; eorundem ſit præſcius, ac nemo mortalium craſtinum ſibi polliceri diem au- *NB.*

ſit, ſequitur illos Aſtrologos, qui ſine fide in Deum ex aſtris ut numinibus pendent, ad orcum uſq; eſſe damnandos. De his Aſtrologis intelligendi ſunt omnes textus S. S. Levit. 19. & 20. Deut. 4. 13. & 17. Eſa. 47. ubi expreſsè fit mentio incantatorum & maleficorum. Jerem. 10. & plures alii. Item Auguſt. lib. quęſt. Vet. & Nov. Teſt. quæſt. 115. de doctr. Chriſtiana à cap. 17. uſque ad 23. Lactantius l. 2. c. 14. Euſebius de præpar. Evang. l. 15. cap. 1. & 2. Quemadmodum autem primum hominum genus peccavit in defectu, ſic hoc in exceſſu.

Quapropter ſtylum promoveo ad illos, qui media eaque tutiſſima ingrediuntur via, ſtatuentes Aſtrologiam eſſe artem & veram doctrinam de cœleſtibus effectionibus. Unde Aſtrologiam definiunt partem eruditam phyſices, ſtellarum naturas, proprietates & effectus inquirentem, & ex præviſis comprehenſisq;, beneficio Aſtronomiæ, ſtellarum motibus, poſitu & configurationibus, futurorum & ſecuturorum effectuum ratiocinationem quandam eſſe & deductionem: non commentitiam illam, ſed extructam de veræ ac eruditæ experientiæ teſtimoniis, conſtantem demonſtrationibus τὸ ὅτι, id eſt, ex effectis contextis. Unde veram eſſe artem, generiq; humano utilem ſequitur, quod in artis etiam definitione requiritur. Atque hîc primum peto, quod æquiſſimum eſt, ne in artem conferantur artificum errata. Si enim Logicus non ſemper benè diſſerit, quid hoc ad artem? Si medicus non rectè curat, quid hoc ad Medicinam? Si Politica Scientia omnes Rerumpublicarum tempeſtates prævidere, mederiq; omnibus incommodis non poteſt, quid hoc ad ipſam Scientiam? Si Ethicus non ſemper prudenter, temperanterq; vivit, quid hoc ad Ethicam? Si Theologus in docendo, diſputando, concionandóve quandoque exorbitat, quid hoc ad Theologiam? Si Geometra non rectè metitur, quid hoc ad artem ipſam? Si Hiſtoricus falſa memorat,

NB.

morat, quid hoc ad ipſam Scientiam? Si Poëta Mo in Momus corripit, quid hoc ad artem? Si Juriſconſultus juſtitiam adminiſtrat ceratam, quid, quæſo hoc ad Juriſprudentiam? Ita ſi Aſtrologus prædictionibus ſuis non ſemper verum dicit, nihil hoc derogat arti Aſtrologicæ, quæ eſt univerſalis & perpetua doctrina ex particularibus paucorum eventuum ſignificationibus orta. Quapropter etiamſi non tam multæ ſint hujus artis demonſtrationes, quàm cæterarum leviorum, tamen ſpernenda propterea non eſt, nam magnitudini hoc ejus & ſublimitati tribuendum. Verſatur enim hæc ars in rebus, quas Deus procul removit à conſpectu noſtro & ſenſibus, & cùm hominum mores & temperamenta dijudicet, vaticineturq; de futuris maximarũ in vita rerum mutationibus, divinitas quædam eſſe videtur. Unde etiam ſublimior ſemper habita eſt, quàm ut vulgi judicio ſubjiceretur. Extenuat hanc artem Favorinus apud Gellium, dicens: Pauca quædam prævideri παχυμερέστερον, Ægidius Columnus Cardinalis, utitur voce *obſcuriuſculè*: & rectè quidem uterque. Nam hoc ipſo ampliſſimo encomio ornârunt artem: ſiquidem ille quædam in natura & moribus præcipua animadverti poſſe aſſerit, ex quibus homines ſagaces & eruditi plurima poſtea judicant atque obſervant. Videt Aſtrologus in alicujus geneſi diros poſitus & aſpectus Planetarum, ſignificantes audaciam animi crudelitatem, præpoſteros mores, inquieta & turbulenta conſilia, quibus infauſtis ſignificationibus, quæ quidem ſunt certæ, conjicere licet, futurum talem ſeditioſum, habiturumque tragicum exitum, & ita inſignia quædam in moribus & temperamentis παχυμερέστερον & obſcuriuſculè judicari poſſunt, quæ tamen non fallunt, quamvis non ſemper contingant. Sapiens enim anima dominatur aſtris, rationeq; & conſilio multa præcaveri poſſunt. Magnoperè autem prodeſt hæc conſideratio magnis & prudentibus viris, ut

regere aliqua ex parte fortunam, & cavere ſævas tempeſtates poſſint. Rectè enim dictum:

Qui ſapit, ille animum fortunæ præparat omni,
Præviſumq́; poteſt arte levare malum.

Si parentes filiorum interdum ſuorum naturam ſatis perſpectam haberent, flectere etiam melius ſæva & fera ingenia ad moderationem poſſent, immoderatosque eorum affectus ac impetus coërcere. Quàm multi ſunt, qui calamitoſum vitæ exitum experiuntur in juventute, quos ſcilicet Martis vel Saturni in aſcendente tempore horæ natalis infauſtus poſitus ad immoderatos & iracundos animi impetus affectusq́; diſponit? Unde hanc diſpoſitionem ignorantes oriri à malo poſitu Martis, ſine ullo repectu honeſti, in quævis ſe pericula præcipitant. *NB.* Quod ſi præſciviſſent Martis in dicto loco inclinationes & ſignificationes, refrenare etiam & compeſcere effrenatos animi impetus potuiſſent, Deumq́; oraſſe, ut ſideris infauſtum influxum ac inclinationem vel planè avertiſſet, vel ſaltem mitigaſſet. Jam dic, amabo te, mihi, quiſquis es, an ſic divinare ex aſtris ſit impium, ſit ſuperſtitioſum? Nemo niſi planè ἀπαίδευτος, ac excors, cœleſtiaque parum curans negabit. Unum tamen hîc præteritum non oportuit, quòd etiam apud doctos arti fidem derogare videtur, videlicet in infinita hac caſuum & humanorum eventuum varietate, artem ipſam non omnia prævidere. Unde negant homines etiam eruditi Aſtrologiam eſſe artem, hoc eſt, univerſalem & perpetuam exiſtere doctrinam poſſe ex paucorum eventuum particularibus obſervationibus: quaſi verò aut Medicina morbos curet omnes, aut Politica ſapientia omnes Rerumpublicarum tempeſtates proſpicere, mederiq́; omnibus incommodis poſſit? Et tamen concedendum eſt, & multa utriuſq; artis eſſe vera & firma præcepta, & ad vitam utilia. Sic & Aſtrologia veras quaſdam habet & perpetuas ſignificatio-

ficationes, quamvis pauciores forsan quàm Medicorum. Unde necessariò elicitur, si siderum est aliquis influxus ac effectus in hæc inferiora, temperamenta etiam & humores, Astrologiam esse eruditæ physices partem, perinde ut Medicorũ prædictiones. Quæcunq; enim Scientia docet, quos effectus astrorum lux in elementis & mixtis habeat, qualiaq́; temperamenta, quas alterationes, quasq́; inclinationes excitet, illa in omni vitæ genere & studio est utilis. Astrologia autem est talis. Ergo. Cumq; inclinationibus sæpè studia, consilia, casusque respondeant, ideò horum quoque significationes aliquas monstrat. Neq; enim putandum est, sideralem influxum in amplum tantùm aërem extendi, sed etiam ad particularem constitutionem hominum. Qui igitur negat influxus astrorum dirigi ad singularia, ei certè nihil deest præter cor. Ita autem diriguntur ad singularia, ut fortunarum & actionum humanarum autores & directores non constituantur Venus in hac, Jupiter in vita altera, ut impiè statuit Maternus, qui etiam eò dementię & audaciæ progressus est, ut certis constellationibus assignet beatitudinem futuram in altera vita. *NB.*

Pari ratione improbatur, quod Albumasar scribit: Qui orat Deum, quando Luna Jovi in capite draconis conjuncta est, is omnia impetrabit. Ex quibus certè liquidè constat, esse Astrologiam Ethnicam, vanam, & superstitiosam, & esse quoq; licitam, nec impiam, moderationem tamen summam adhibendam, prædictionumq́; certitudinem, de secuturis ad stellarum effectiones mutationibus, aliarum & superiorum quoq; causarum mentione restringendam, verecundeq́; moderandam. Pius enim & sanæ mentis Astrologus non evagatur extra coeli pomoeria, non affirmat ea, quæ à potestate astrorum provenire non possunt, nec miscet sortes, & ejusmodi divinationum genera, quæ Ptolomæus vocat ἀναιτιολόγητα. Interim tamen *NB.*

multa judicari posse, & judicata esse ex positu astrorum affirmat de valetudine corporum, ingeniorum diversorum natura, multisq; in vita casibus, quarum rerum consideratio plurimum conducit prudentibus, & in officio cõstitutis, & ad Reipubl. gubernacula sedentibus. Magni profectò interest scire, quo quis loco cœli, supráne an infra terram, tempore genituræ habuerit omnes Planetas, conducit enim id ad vitæ actiones, animiq; motus moderandos. Sapientis igitur est aspicere naturam, sed major sapientia, adjungere Rectorem Deum, ut, si
NB. quid mali aut astrorum positus, aut inclinatio naturæ minitetur, sciamus Deum velle, piis tamen precibus exoratum, moderari eventus & mitigare. Mars in occidentis angulo cum Luna, quoties fuit multis calamitosus? Saturnus in eodem loco, quoties multis funestus? Sapiens certè anima has observationes & significationes negligere non debet, quæ, Ptol. teste, cœlestem operationem adjuvat, quemadmodum optimus agricola arando expurgandoq; adjuvat naturam. Latissimè autem hoc patet in cura valetudinis, in deligendo vitæ genere, studiive, suscipiendis negotiis vel aptis, vel ab ingenio abhorrentibus. Magna certè hæc sunt, & admiratione digna. Cyclopum & Bœotum in agro nati hæc fastidiosè deridet: nec mirum, quoniam terræ impuræ filii orbiculationes cœlestes, & inde dependentes effectiones parum vel nihil curant, cœlum intuentes, ut vacca nigra portam albam. Sed premo hoc, & cesso, illustrius operæ me pretium facturum existimans, si per variarum nativitatum exempla incedens, varias ex vario stellarum concursu & configuratione, tam in aëre quàm hominibus prædictiones inopinatorum eventuum, quos omni tempore diligentiores Astrologi observarunt & collegerunt, ad arti conciliandam fidem, hîc recenserem.

N.B. Rectè enim Tacitus, paucos mortalium excipi, scribit, quibus

quibus non primo cujusque ortu à natura eventura destinentur: cujus clara documenta antiqua ætas & sua tulerit, & jam etiam nostra vidit, sed quædam secus quàm dicta sunt, cadere, propter ignorantiam & errorem artificum, & ita corrumpi fidem artis. Hæc Tacitus, quibus addi potest falsa temporis natalis relatio, partiumque & minutorum mobilium ac labentium celeritas, rapidissimusq; siderum cœli ac rotatæ vertiginis cursus, & nondum exacta omnium motuum cœlestium cognitio: interim tamen παχυμερέστερον & rudiusculè Astrologo divinare licet.

Nemesius de fato, inquit, quòd Ægyptii sapientes statuerint fatum in astris positũ, sed precibus ad Deum flecti & mutari. Unde liquet, constituisse illos fatum astrale rerum contingentium non necessarium, observasseq; ac notasse cujusq; vitam ex natali die, quem præ cæteris prædictionibus Astrologicis ut maxime idoneum observarunt. Herodotus id confirmans, ait: Ægyptii ad indicatum cujusq; partus momentum, de vitæ curriculo, ingenio, conditione atque fato mortis vaticinari soliti. His astipulatur Cic. l. de divinat. cùm scribit: Chaldæos ex diuturna siderum aspectione, observationeque scientiam effecisse, ut prædici posset, quid cuiq; eventurum, & quo quisque fato esset natus. Nunc ad ipsa Astrologicarum prædictionum exempla. *NB.*

Astrologus quidam, nomine Basilius, ex nativitate Alexandri Medicei prævidferat mortem violentam per manus violentas, unde Alexandrum præmonuit. Alius quidam paulò specialius hoc prædixit, pugione scilicet transfossum iri, à quodam sui familiarissimo & amicissimo: (nimis speciale est, quòd instrumentum nominat, nam ex astris id prævideri vix ac ne vix quidem potest: sufficit honestis mentibus in generalibus acquiescere, ita enim arti fides non derogatur.) Triduo autem *Memorabil nativitatis exempla.* *NB. Lector.*

ante,

ante, quàm affinis ejus Laurentius Mediceus eum interfeciſſet, accidit, ut ejus prægustator (non enim niſi prægustatos cibos ſumpſit) Horatius Peruſianus febre laborans, ter una nocte ſomniaret, Laurentium Mediceum Alexandro Duci gulam præcidere: quo ſomnio commotus Ducis Medico Paſchalio id ſecretò ſignificavit. Paſchalius nihil in ſe deſiderari patiebatur, ſed officii ſui eſſe duxit, Duci in ſuo conclavi ſubtriſtiori quàm conſueverat, id indicare, qui tum paulò poſt à Laurentio, poſtquam dolo in cubiculum eſſet vocatus, pugione trucidatus eſt, teſt. Jovius & Sabellicus in ſupplemento.

Idem Petro Ludovico Farneſio, Pontificis Pauli III. filio, accidiſſe legimus, qui, poſtquam Aſtrologus hoc prædixiſſet, Placentiæ in ſuo palatio fuit interfectus. Schleid. l. 19.

Ladiſlao Regi Poloniæ, matre Sophia nato, adoleſcenti adhuc, ab Aſtrologis prædictum eſt, futurum ipſum magnum Regem, ſed ad longævam vitam vix duraturum. Hic Poloniæ ſimul & Hungariæ Rex electus eſt 20. ætatis ſuæ anno, interfectusq; eſt à Turca apud Varnam. Frater autē ipſius Caſimirus, cui longiorem vitam aſtra promiſerant, huic ſucceſſit. M. Cromerus lib. 19. & 29. hiſtor. Polonicæ.

Memorabile eſt quoque, quod de magnis illis Ducibus Sforcia & Braccio de Montone hiſtoriæ memorant. Cùm enim Braccio certior factus eſſet, Magnum Sforciam hoſtem ſuum in flumine Peſcara, ſuppetias nobili ſuo cubiculario, quem equus in flumen præcipitarat, laturum, ſuffocatum eſſe (erat autem hoc ei mortis genus prædictum) tantum abeſt, ut ejus morte fuerit exhilaratus, ut etiam in ſummum mœrorem conjiceretur, propterea quòd ab Aſtrologo quodam conſulto, quem vitæ exitum ipſe habiturus ſit, reſciviſſet, brevi eum non leniori mortis genere interemptum iri: ac divinationi reſpondit eventus: elapſis enim 5. menſibus, cùm obſidionem &

expu-

expugnationem Aquilanam fortiter redintegraret & urgeret, forti eruptione facta ab hoste interemptus est, Jovius in vita Sforciæ. Volateranus l.23. Sabellicus l.10.

Alexander Magnus, cùm in suam potestatem redegisset Indiam universam, & victor cum exercitu reversus esset in Babylonem, quam urbem aulæ habendæ delegerat, in intinere à Chaldæis peritissimis Astrologis, atque inprimis Belophante, quem cæteri tanquam autoritate & doctrina eminentem ad munus hoc delegerant, ne urbem Rex ipse introiret, fore enim, si urbem ingrederetur, ut non multò post vitam cum regno amitteret. Eo vaticinio haudquaquam vano, cùm animus Regis percelleretur gravius, atq; is præmissis in urbem amicis deflectere ab instituto itinere statuisset, non tantùm gnathones aulici, qui regiæ urbis delitiis & splendore capiebantur, sed etiam Philosophi contemnere Regem prædictiones Astrologicas, & deposito omni metu ingredi regiam urbem jusserunt. Horum igitur consilio cùm credulus nimium obtemperasset, atque urbem ingressus, Hephestioni funus fecisset sumptuosissimum, paulò post ardentissima febre ex immoderatiore vini usu correptus fatalem diem obiit, exitu tristissimo adulatorum vanitatem in ridendis prædictionibus Astrologicis refellens. Diodorus Siculus.

Refert idem Theodorus, Seleucum scripsisse Chaldæos prædixisse sibi Alexandri interitũ, & partitionem regni in quatuor duces. Unde Seleucus hanc utilitatem est consecutus, quòd talia præsciens sua consilia melius in illum eventum dirigere, & occasionem oblatam ad optatum exitum persequi potuit. Non multò post Alexandri mortem, cùm Seleucus Babylonis esset Satrapa, & Antigonus rationes superbè ab eo reposceret, metuens potentiam Antigoni Seleucus, in Ægyptum ad Ptolomæum confugit, ut præsidio ejus se muniret. Eam fu-

gam magna cum voluptate audivit Antigonus, quòd ſperaret regnum Babylonis à Seleuco deſertum ſine negotio ſe eſſe occupaturum. Sed cùm Chaldæi ad ipſum veniſſent, & dicerent, Seleucum, ſi ex manibus dimitteretur, paulò poſt dominum fore totius Aſiæ minoris, & ipſum Antigonum prælio à Seleuco devictum, interiturum. Antigonus, contemptor aliâs illarum Aſtrologicarum divinationum, motus dignitate atq; autoritate eorum qui talia nunciabant, non leviter eſt conſternatus, itaque emiſit equites, qui Seleucum perſequerentur, & fugâ retraherent. Sed & illi re infecta redierunt, & non mulò poſt Seleucus interfecto in acie Antigono, & Aſia minore ſubactâ, prædictionibus Chaldæorum fecit fidem.

Publius Nigidius, auditâ, quâ in lucem editus erat Auguſtus, horâ, affirmare non dubitavit, Dominum orbis terræ natum eſſe, teſte Tacito, Dione, Volaterano. Xiphilinus ex Dione hunc locum ſic recenſet: Nigidius Figulus Senator, ſtatim Auguſto prædixit Imperium: noverat is ſupra omnes homines ſuę ætatis totius cœli ordinem & curſum, tenebat ſtellarum vim & differentiam, quid ipſæ aut per ſe, aut cum aliis conjunctæ poſſint & efficiant, quorum etiam ſtudiorum cauſa culpatus eſt, quaſi magicis uteretur artibus. Hic igitur, ut vidit Octavium ſerius propter uxoris partũ in curiam venientem, (nam tunc fortè Senatus erat) ſtatim exclamat: Nobis, Octavi, Dominum genuiſti: qua de re perculſum Octavium, atque iccircò puerulum interficere volentem prohibuit, nam ut hoc modo filius tuus, inquit, moriatur, fieri certè nullo modo poteſt.

NB. Idem Publius adeò in hac diſciplina claruit, ut, cùm diſputaretur, cur gemini diverſa haberent fata, qui geniti & orti iiſdem eſſent ſideribus, ſuam ipſe artem defendens, non eodem ſiderũ poſitu, ſed diverſo naſci gemellos propter celerrimum cœleſtium orbium motus, oſtendit. Figuli autem rotam ma-

gna

gna vi concitavit, & in eadem duas atramenti guttas liquavit, quæ desinente motu longo intervallo in extremitatibus sunt inventæ: quomodo igitur opinantur, inquit, cùm tam celeri vertigine cœlum circumducatur, posse gigni & oriri geminos eodem sidere, figuli rotâ parvo incitata cursu excussas guttas eodem momẽto tam diversis locis ostendente. Et præter hanc Publii demonstrationem ipsa quoque experientia testatur, geminos non tam subitò nasci unum post alterum, quin intercedat aliquod spacium: Ergò nunquam ferè simul. Hæc Nigidius. Et geminos etiam nunquam ferè nasci simul naturales quoque causa suadet, quia natura tam vehementes motus & dolores tam subitò ac uno momento sustinere non potest, sed paululum se recreando motum redintegrat: quid? quòd uno coitu raro gemini concipiantur, nam hi soli, qui uno coitu concipiuntur, uno quoq; enixu eduntur. Unde non perperam Avicenna inquit: Matrix primò deglutit unum semen pro formatione unius: postea alterum pro formatione alterius cum mora & quiete. Quòd autem gemelli interdum habeant ferè fortunam, conditionem, dignitatem & longitudinem vitę eandem & æqualem, ratio est, quòd ferè ambo uno momento sunt nati, vel eandem in conceptione & nativitate astrorum habuerunt constitutionem. Et licet raro nascantur gemini uno puncto, fieri nihilominus potest, ut diversis in locis duo infantes eodem temporis puncto in lucem edantur, sed sub diverso stellarum positu ob aliam cœli faciem, poliq; elevationem: unde nec iisdem præditi sunt moribus, nec eandem fortunam experiuntur. Quod si verò uno eodemq; loco nascuntur infantes, consideranda est materiæ conditio cum re subjecta, quæ juxta suam dispositionem ac habilitatem magis ac minus recipit cœlestem afflatum ac impressionem: nam secundum subje-

ctorum varietatem effectus variantur, virtutesq; astrorum operantinm mutantur propter recipientium diversitatem.

NB. Sed inprimis memorabile & dignum hoc loco est in multis à me summo studio observatum, quòd nativitatis nostræ sidera convenientia congruentes etiam inter se animos producunt, ita quidem, ut sub uno horoscopo seu ascendente in lucem & vitam venientes, tacito & occulto sympathismo, nutu etiam oculorum, & intuitu tantum, animorum congruentiam significent, contra verò sub diversis, vel rectiùs oppositis horoscopis nati, animorum antipathismum verè experiantur. Atq; hinc fit, ut sæpè alter alterum ad primum conspectum, & sine ulla præcedente offensione, ita aversetur, ut in eodem etiam conclavi vel mensa ferre vix possit. Sed redeamus ad prędictionum exempla memoratu digna, quæ prisco & nostro etiam seculo observata, & memoriæ prodita sunt.

Julio Cæsari vaticinatus est Spurina, eumq́ue monuit, ut periculum caveret, quod circa Idus Martias eventurum esset. Cæsare eum, adventantibus Idibus Martiis deridente, ipsæ, inquit, venerunt quidem, sed nondum præterierunt. Cæsar enim eo ipso die multis vulneribus in Senatu confectus periit. Et quamvis Spurinam augurem fuisse constat, tamen Cæsari fatalis hic exitus à pluribus aliis est prædictus, inter quos Astrologos fuisse dubium non est. Unde etiam Manilius de Cæsare in versibus suis canit:

Ille etenim cælo genitus, cæloq́ receptus,
Cum benè compositis victor civilibus armis,
Iura togæ regeret, toties prædicta cavere
Vulnera non potuit, toto spectante Senatu
Iudicium dextra retinens, nomenq́ cruore
Delevit proprio, possent ut vincere fata.

Magi ex ortu novæ stellæ Regem & Servatorem totius mundi

natum

natum esse ex astrorum doctrina eruditissime judicarunt, eaq́; de causa ex oriente Hierosolymam profecti ad verum Messiam beneficio Astrologiæ, Deo sic gubernante, pervenerunt, priusq́ue ex astris, quàm Judęi ex scripturis Christum cognoverunt.

Thrasyllus Mathematicus Tiberium, ab Augusto vitrico, Rhodum relegatum, & non parum suæ saluti timentem, bono esse jussit animo, cùm circa mare deambularet, finemq́; ærumnarũ instare denunciaret: Thrasyllus videns advenientem navem, fidenter eâ felicia afferri Tiberio affirmavit: & non multò post nave ad portum delata literas ab Augusto & Livia accepit, quibus Romam revocatus Imperii sui jecit fundamenta.

Idem Tiberius, cùm statuisset Rhodi Thrasyllum de muro præcipitare, eò quòd is solus ex Astrologiæ secretis omnes ejus cogitationes cognosceret, sensit hominem eo ipso tempore esse solito tristiorem: cujus rei causam cùm exploraret, respondit se periculi cujusdam suspicionem præsentire. Unde Tiberius admiratus hominem, qui institutum non ignoraret, intermisit.

Tacitus, Suetonius, Josephus & Dion autores probatissimi de Tiberio, Galba & Thrasyllo ea literis prodiderunt, quæ omissa hîc non oportuit. Non omiserim, inquit Tacitus, præsagium Tiberii de Servio Galba tum consule, quem accitum, & diversis sermonibus pertentatum, postremò Græcis verbis in hanc sententiam allocutus est: Et tu Galba quandoq; degustabis imperium, seram & brevem potentiam significans, scientiâ Chaldæorum artis, cujus adipiscendæ otium apud Rhodum Magistrum Thrasyllum habuit, peritiam ejus hoc modo expertus. Quoties de negotio consultaret, edita domus parte, ac liberti unius conscientia utebatur, is verò literarum ignarus, corpore valido, per avia & prærupta (nam saxis domus immi-

nebat) præibat ei, cujus artem Tiberius experiri statuisset, eundem regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subjectum mare præcipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Thrasyllus iisdem rupibus inductus, postquam percunctantem commoverat, imperium ipsi & futura solerter patefaciens, interrogatur, an suam quoq; natalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille positus siderum ac spacia dimensus, hærere primò, postea pavescere, & quantò introspiceret magis, tantò magis trepidus admiratione & metu obstupescens, postremò exclamat, ambiguum sibi & prope ultimum discrimen instare. Tum complexus eum Tiberius, præscium periculorum & incolumem fore gratatur, quæque dixerat oraculi vice accipiens inter intimos amicorum tenet.

Apollonius Ægyptius, teste Dione, Cajo Caligulæ mortem prædixit, qui eam ob causam Romam missus, ad Cajum eo die perductus est, quo ille (Cajus) mortem erat obiturus, certissimo nimirum vitæ periculo, nisi Caligula paulò post interfectus exitu funesto prædictionis certitudinem comprobasset.

Scribit Josephus in omni Judæorum doctrina peritissimus, Judam Essæum, qui ferè nunquam divinando aberravit, Antigono, Johannis Judæorum ducis filio prædixisse locum & diem, in quo illi fato erat destinatū mori. Sed Antigono transeunte templum exclamavit: Papæ, nunc mihi pulcrum est mori, quando mearum prædictionum mendacium deprehensum est. Venit enim Antigonus, qui hodie deberet occidi. Locus autem ejus necis erat apud Stratonis πυργὸν, & ille quidem sexcentorum abhinc stadiorum intervallo distat, horæ verò diei sunt quatuor, ut ita vaticinationis tempus effluxerit. Hæc locutus senior mœsto vultu & mente sollicita multa secum reputa-

putabat: sed paulò post Antigonus interfectus est alio loco subterraneo, eodem nomine, quem prædixerat: & ita in situ loci tantùm aberravit.

Idem Josephus Astrologiam edoctus Vespasiano patri, & Tito filio, non solùm eos terrarum Dominos futuros, sed etiam se à captivitate liberaturos, constanter affirmavit, & ut tantò magis sibi fidem adhiberent, vinculis se custodiri, usq; dum prædicta evenirent, petiit. Cùm autem nonnulli ex Vespasiani intimis dicerent, illi nō adhibendam fidem, qui suam propriam captivitatem ignorasset, ipse verò affirmavit, se ante prædixisse. Quare de ea re Vespasianus inquirens, ita esse invenit. Ergo illi fidem habuit, sed tamen custodiæ, usque dum prædicta evenirent, tradi jussit. Postea verò, cùm Imperator factus est, libertati eum restituit. Hæc Josephus de seipso vivente & sciente Cæsare scripsit, cui mentiri fuisset capitale.

Asclaterion mortem sibi instare Domitiano confessus est, eventurumq;, ut à canibus brevi laceraretur. Hunc Domitianus sine mora cremari, ad coarguendam artis temeritatem, ac sepeliri accuratissimè mandavit, sed repentina tempestate diruto funere semiustum cadaver canes discerpserunt. Quò audito Domitianus valde perturbatus mortem timuit, quæ ilicò subsecuta præsagio fecit fidem. Dion.

Apollonius ad Nervam hæc scripsit: Nos, ô Rex, & quidem brevi simul erimus, ubi neque nos aliis, neq; alii nobis imperabunt. Sciebat enim sibi citò è vita esse migrandum, & Nervam perbreve tempus imperaturum. Et licet multi Apollonium Necromantiæ insimulent propter Philostrati falsam de illius vita relationem, tamē ex Hieronymo & Eusebio constat, illum Philosophum fuisse, natalesque dies, & circularis motus doctrinam observasse & calluisse.

Adrianus Imperator in juventute singulis annis Astrologicas

logicas prædictiones fecit, ita ut sibi omnium dierum usque ad horam mortis futuros actus ante præscripserit.

Severus Imperator in Africa à Mathematicis didicit quæ sibi essent eventura, antequam ad Imperium perveniret. Quare factus est Mathematicus insignis, & prima conjuge mortua noluit aliam quàm Juliam ducere, quòd sola ex multis oblata regiam genesin haberet.

Domitianus exploratis diebus & horis, in quibus Principes viri essent nati, plerosq; sustulit, qui regiam haberent genesin, ac inter eos etiam Melum Pompejanum. Idem quoque fecit Tiberius.

Scribit Dion, Severum scivisse, se ex Britannia non reversurum, quod maximè cognoverat ex stellis, sub quibus erat natus.

Alexandro Severo ad Germanicum bellum proficiscenti, Thrasybulus Mathematicus illi amicissimus prædixit, ipsum barbarico gladio interficiendum. Quod ita contigit. Nam antequam in conspectum hostium veniret, à Germanis militibus interfectus est, Lampridio teste.

De Zenone Imperatore hæc scripsit Glycas. Is cùm morte mulctasset Harmatium, qui fraudulentè se proditorem heri sui declaraverat, simulq; promisso satisfecerat, quòd ipsius filium Cæsarem renunciasset, & non multò post illum per vim Cyzicenorum Pontificē inaugurari mandasset, contigit, quod ei prædictum ab Astrologo fuerat, ut impetrato imperio paulò post moreretur, & conjugem suam unà cum imperio viro cuidam senatorii ordinis relinqueret. Hoc in memoriam sibi revocato, complures præsertim illustres Senatores neci dedit. Verùm inexpugnabilem divinæ providentiæ vim nemo mortalium unquam coarguere, ceu vanam & inefficacem poterit. Quippe cùm Zeno vitam cum morte commutasset, Imperiumq;

riumq; reliquiſſet Romanum, ad Anaſtaſium id pervenit, qui cum Ariadne Imperatrice matrimonium contraxit.

Aſtrologus quidam nomine Nicolaus, Conſtantino Ducæ mortem prædixit, ante ejus interitum ſcribens: Nolite timere à Duca, nam temerè novis rebus ſtudebit, ſtatimq; peribit. Quod idem etiam Leo vaticinatus eſt: atq; hæ prædictiones fuerunt veræ, paulò enim poſt in urbe Conſtantinopolitana, tumultu excitato, equo prolapſo præcipitatus periit.

Firmicus ſcribit, inter alias prædictiones, ex Solis Eclipſi, quæ medio diei tempore accidit, Optaritii & Paulini conſulatu, Mathematicos ex ſagaci intentione prædixiſſe, quid cunctis hominibus paulò poſt futurum eſſet. Idemq; recenſet, Plotinum, cùm primò nihil poteſtati ſtellarum tribuiſſet, poſtea ſerpente morbo minutæ partes viſcerum dilaberentur, ſolus ſuperſtes animus retinebatur, tandem cùm vim fati ſentiret, & animadverteret, proprio exemplo, quòd finis ſibi inſtaret, quem ſtellarum ignitarum indicia decreverant, cunctos homines docuit, vim poteſtatemq; fatorum ac ſtellarum nulla poſſe ratione contemni.

Petrus Juſtinianus in hiſtoria Veneta ſcribit: Planetarum & cœleſtium corporum diſpoſitiones ſub Jovis aſpectu felicia omnium rerum incrementa huic urbi denunciaſſe, his verbis: Attila defuncto Venetiarum populi, qui ejus metu in hæc ſtagna confugerant, campeſtribus locis aſſueti, conſilia agitarunt remigrandi in continentem ad patrias ſedes, quas ingenita natalis ſoli dulcedine adamabant: ſed ex his plurimis ante oculos habentibus barbarorum immanitatem, incendia, fœdasque populationes, quibus antea Radagiſus & Alaricus Gothorum Reges, & noviſſimè recentis memoriæ Attila Italiam affecêre; perpetuum his locis tutioris vitæ ſtudio figere domicilium vitæ placuit: atque à divinis exorſi primi illi Veneti pietatis cul- *NB.*

tores, naſcentem urbem templo ornarunt, quod D. Jacobo conſecrantes medio Rivalti foro erexêre. Jacta autem felicibus auſpiciis civitatis fundamenta, ac tanti Imperii incunabula fuêre, Pontificatu Papæ Innocentii I. imperanteq; Honorio cum Theodoſio, Arcadii filio, anno 421. VIII. Calendarum April. circa meridiei horam, in qua Planetarum diſpoſitiones & cœleſtium corporum figuræ ſub Jovis aſpectu felicia rerum omnium incrementa denunciabant, ut ex ſignis, quæ hîc ponuntur, patet cœleſtibus: Nam à Septentrione dominabantur piſces, aries, taurus, à meridie virgo, libra, & Scorpius, ab occaſu Leo, Cancer, & Gemini, ab ortu Aquarius, Capricornus, & Sagittarius.

Lucas Gauricus quoque computavit Venetorum urbis ædificationis figuram, aitq; eam ædificatam anno 421. 23. Mart. in meridie, ponitq; in oriente 25. gr. Cancri: Solem in medio cœli, & 4. gr. arietis: Lunam in 14. geminorum: Saturnum in 27. Virginis: Jovem cum Mercurio in 13. piſcium: Martem in 14. libræ: cum capite verò draconis Venerem in 6. tauri: additque fore hanc civitatem feliciſſimam, (exceptis bellis, propter Martem in ſuo caſu) quia habet Solem aphetam in ſuo throno ſeu exaltatione, & cœlorum culmine partiliter ſupputatum: dicitq; præterea, Senatores dominii ſceptra adminiſtraturos uſque ad annum Domini 1888. vel circiter. Hæc Gauricus. Subſecutura ætas obſervare poterit, an vera prædixerit. Differunt enim hi duo autores de Venetiarum ortu nõ annis, ſed diebus.

Heraclio Aſtrologi prædixerunt, magnum ipſi & Imperio imminere periculum à circumciſo populo, & ut dicitur obſervabili præ aliis proverbio, ſtellarum influxus facilius prævideri poſſunt quàm præcaveri: ita hic cùm Judæos timeret, Sarraceni ab illo ob negata ſtipendia defecerunt, Arabiamque cum nonnullis locis in Ægypto occuparunt, Mahometis legem

gem & ſectam invexerunt, qui deniq; finem Byzantino Imperio attulerunt, & noſtro Imperio adhuc imminent.

Nothebaldus Aſtrologus Adelberto Archiepiſcopo Bremenſi, Friderici Palatini fratri, multa vera prędixerat, in eo tantùm deceptus, quòd calculo ſubducto pronunciaverat, ex morbo, quo periit, illum non moriturum. Adamus Bremenſis Canonicus.

Æmilius de Joachimo Abbate vaticinandi peritiâ percelebri prodidit, Gallorum & Anglorum Reges contra Saladinum arma moventes, cupidos pernoſcere exitum belli, ad ſe perduci curaſſe Joachimum, reſpondentem ituros illos quidem, ſed parum profecturos, quòd nō diram beluam ipſorum fata appeterent, nec terræ Sanctæ recipiendæ dies illuxiſſet.

Johannes Comes Mirandulanus miſerum flagellum Aſtrologorum, adverſus Aſtrologiam edidit librum, quem Bellantius Senenſis & alii eluſum eliſerunt: hi, ut artem veram oſtenderent, illum annum ætatis 33. non tranſgreſſurum prædixerunt, ex directione aſcendentis ad Martem, quemadmodum ex ſcriptis editis conſtat. Et quidem Bellantius l. 5. ſuarum reſponſionum contra Picum ſic ſcribit: Nec unum tacendum videtur, complures enim ſunt Florentiæ teſtes fide digniſſimi, quibus inſpecta Hieronymi Savanarolæ genitura, quinq; ante ejus jacturam menſes dum florebat, vitam laqueo terminaturum prædixi. Is quanquam crematus, prius tamen fuit ſtrangulatus. *NB.*

Bartholomæus Chaſſanæus audivit, ut ipſe narrat, Mediolani, quòd eximius Aſtrologus dixiſſet Duci Mediolanenſi, Galeatio Mariæ vicecomiti, ipſum ex vulnere periturum, quod eſſet ei proprius vaſallus inflicturus. Aſtrologus interrogatus à Duce, quo mortis genere eſſet interiturus ipſe, reſpondit, ſe in publico interemptum iri ex trabe ligni cadente: quo audito, *NB.*

Dux ira accensus ipsum mox decollari jussit, ut ex rei eventu cerneret Astrologicā artem esse falsam. Cùm interim pararetur locus, & campana solito more pulsaretur, populusq; concurrisset, & ipse traditus executori ad locum supplicii deduceretur, inter exeundum, sub porta magna, quæ est ante Ecclesiam cathedralem, cecidit turris, quę dictum Astrologum cum aliis interfecit: ipse verò Dux in festo S. Stephani, & in Ecclesia ipsi sancto dicata, Mediolani, universo astante populo, & ipsius aulicis, interfectus est à proprio vasallo, sicq; fuit vera prædictio Chassanæi de proprio & Principis exitu ac morte.

Johannes de Lignano tempore Martini V. Papæ, prævidens ex genitura filium cruci affigendum, volensq; fatali genescos dispositioni succurrere, sacris eum initiari ac apprimè erudiri curavit. Sed ne sic quidem evitare vim fati potuit. Nam cùm eum concives sui ad Martinum Papam ablegassent, rediens domum propter legationem non fideliter tractatam, de nocte à Magistratu Bononiensi suspensus est: quem cùm elucescente die pater pendentē vidisset, deplorans, inquit: Eheu, fili mi, tu infelicissimum fatum nec humanis literarum adminiculis, nec divinis mysteriis superare potuisti.

Joh. Dubravius Episcopus in historia Bohemica scribit, Nicolaum quendam ex eorum numero, qui divinandi scientiam ex decretis astrorum profitentur, Ladislao Regi Bohemię & Ungariæ, Alberti Imperatoris filio, cum insigni pompa equestrium pedestriumq; copiarū Pragam introeunti, nuptias ibidem cum Caroli Galliæ Regis filia celebraturo, pronunciasse infaustum ingressum, quod vaticinium apud paucos curam, apud reliquos risum, velut vanitate plenum excitavit, omnisq; sollicitudo omnium ac maximè Regis intenta fuit in nuptiarum apparatum, verùm Rex paulò post morbo correptus, post sex & triginta horas, quam ægrotare cœpit, animam efflavit,

flavit, & ſic Nicolai vaticinium mœrore triſti completum eſt.

Lucas Gauricus, Johanni Bentivolo, ejusq; filiis ac nepotibus exitium denunciavit, niſi ſe Pontifici ſubmitterent, propterea que captus, & à Tyranno ex alta trochlea ſuſpenſo fune quinquies quaſſatus eſt, qui tamen ante à Chiromante, ut violenti cruciatus cauſas effugeret, erat admonitus. Sed poſtea Bentivolus unà cum ſuis à Pontifice eſt ſuperatus & cæſus.

Friderici II. Imperatoris Aſtrologus interrogatus ab eo, cur tantum honoris Rudolpho Habſpurgenſi Comiti pauperi in aula ſua tunc verſanti, exhiberet, reſpondit, mortuis tuis filiis, quorum adhuc decem ſuperſunt, ipſe ejusq; poſteri ad tua regna pervenient, teſte Alberto Argentinenſi, quod etiam exitus ipſe probavit. Nam anno Chriſti 1273. Cal. Octobr. Rudolphus à Germanis Principibus Francofurti in Regem Romanum eligitur, cùm Baſileam obſideret. Et hodierno adhuc die videmus Rudolphi poſteros regnum Neapolitanum, ducatumq; Auſtriæ & Sueviæ, unà cum Imperio & regno Neapolitano obtinere. Imperator enim Rudolphus ab eo nomen & ditiones hæreditario jure accepit, & Philippus Hiſpaniæ Rex ex eodem natus regnum Siculum & Neapolitanum nactus eſt.

Scribit Cuſpinianus, narraſſe ſibi Georgium Thurſum virum ſpectatæ fidei, Regisque Ungariæ Camerarium, quòd Matthias Mechovita ſingularis tam in medendo quàm prognoſticando eruditionis vir, Montium egreſſuro Regi Poloniæ Sigiſmundo, ut Cæſarem Maximilianum conveniret, qui Cracovia 5. Mart. diſceſſit, prædixerit, ipſum neq; viſurum Cæſarem, neque expediturum quippiam, niſi commodius tempus expectaret. Quod cùm miraretur Rex, ut erat animi inconcuſſi & firmi, conſtantiſſimè perſeveravit in propoſito: eundum, inquit, quò Deus & fortuna vocat, promiſſum ratum ſervabo, nemo me à propoſito abalienabit: videbo Cæſarem, & fratrem *NB.*

conveniam: interim per quosdam Consiliarios mandat, ut diligenter à Matthia inquirãt, serióne an joco locutus fuerit. Idem asserit, Regem non visurum Cæsarem, nisi expectare velit Junium, & ante festum Joannis Baptistæ eum cum Cæsare omninò nõ collocuturum. Nihilominus tamen exivit Rex, & cùm tam longa mora traheretur, sæpè illius prædictionis fuit memor. Hoc idem Mechovita Andreæ thesaurario perscripsit, quod & evenit, 16. enim Julii post longas tractationes & moras Imperator & Rex sese invicem primùm viderunt.

Andreas Medicus & Astrologus Flandrus prædixit mortem Carolo Ducis Burgundiæ, & Jacobo III. Regi Scotiæ, ipsum à propriis subditis interfectum iri, quod Buchananus l. 12. sic refert: Anno 1467. legati ad Carolum Burgundiæ ad sedandas mercatorum querelas missi, cùm in Flandriam appulissent, ibi comiter accepti. Ab iis aliquando forte fortuna invitatus, ut unâ cœnaret, Andreas quidam Medicinæ Professor, & qui magnam Astrologicarum prædictionum putabatur habere peritiam: is audita adventus ipsorum causâ, seductos occultè admonuit, non esse, cur magnoperè festinarent. Intra paucos enim dies certum de Duce nuncium affuturum. Nec prædictioni defuit eventus. Nam intra triduum est renunciatum, Ducem exercitu profligato ad Nancæum Lotharingiæ oppidum, ab Helvetiis fuisse interfectum. Ita illi rebus, ob quas profecti erant, infectis, reversi, cùm apud Regem Andreæ de rebus futuris præscientiam mirè laudassent, animum ejus in eas partes proclivem impulerunt, ut magnis pollicitationibus hominem ad se accerseret, ac non ita diu postea advenientem benevolè exciperet, & opulento sacerdotio, aliisq; muneribus donaret: hic Regi exitium imminere prædixit, quod eventus quoq; deinceps comprobavit.

Cominæus scribit, Episcopum Viennensem multò ante præ-

prædixisse, Ferdinandum nomine ultimum fore Regem Neopolitanum, cùm Alphonsus Rex cum Friderico filio 19. annorum juvene adhuc viveret, & Rex esset. Quare Ferdinandus promisit Cominæo quotannis, si Rex fieret, 200. coronatos.

Guido Bonatus Foroliviensis Astrologus sub Martino IV. Guidoni Montis Ferrati Comiti, diem prædixit, quo, si Forolivio egressus astu invaderet hostes, eos superaturus, victoriaque potiturus, sed vulnus accepturus esset. Atq; ut Guido Comes sermoni fidem haberet, ipse egredi urbe unà cum Comite, & interesse pugnæ voluit, stupasque, ova & alia, quibus vulneri nondum facto opem ferret, secum extulit, secutoq; pugnæ & victoriæ eventu, quem prædixerat, vulnus Comiti est illatum. Idem Guido civibus suis, qui adversus Pontificem gerebant bellum, horam pugnæ assignavit, in qua pugnantes victoriam essent reportaturi, nec eos fefellit. Volater. l. 21.

Petrus Leonius Spoletanus, Medicinæ & Astrologiæ peritissimus, cùm sibi subitæ mortis periculum in aqua portendi cognosceret, Patavio, Venetiisque in Umbriam & Spoletum migravit, ut frequentes navigationes effugeret. Mox ubi ad Laurentium Medicum esset vocatus, & ex astrorum scientia morbum salubrem prædixisset, omnemq; benè gerendæ rei occasionem prætermisisset, à Lazaro Placentino Medico illustri, (qui à Ludovico Sfortia Ticino missus, sera afferebat remedia) reprehensus, atque adeò omnibus invisus, post mortem Laurentii, incertum an desperatione actus, an illata vi à Petro, Laurentii filio, in proximæ Caregio villæ puteum præceps datus mergitur, in Principis Florentini morte prævidenda calculi fortè aut judicii errore deceptus, in suo ipsius fato cognoscendo vates nequaquam falsus.

Seraphinus Mantuanus monachus, Astronomię & Chiromantiæ peritissimus, Johanni Cardinali prædixit, futurum

illum

illum Pontificem, cùm esset annorum 37. quod tamen ipse Johannes nequaquam sperabat aut credebat. Paulò autem post electus & Leo, X. est nominatus. Hic monachus Romam vocatus, cùm esset Leo in Pontificem electus, maluit in suo monasterio, quod reliquum esset vitæ transigere, quàm Romæ esse: Leo itaq; X. 400. coronatos annuatim monasterio decrevit, Gaurico teste.

Dethlevus Revenlovius nobilis Holsatus prædixit Friderico I. & Christiano III. gubernationem regni Danię & Norvegiæ, diversasq; victorias, cùm regna illa Christiemus II. gener Philippi Regis Hispaniarum adhuc teneret: quemadmodum & tempus horum filiorum, quo die essent nascituri, & cujus sexus essent futuri post conceptionem.

Idem Andreæ Barbato Episcopo Lubecensi dignitatem, genus mortis, annum & mensem denunciavit, qui obiit anno 1559. XII. Aug.

Idem quoque Revenlovius Carolo Imperatori belli exitum, quod gessit cum Protestantibus, Electore Saxoniæ, & Landgravio Hassiæ, prædixit, & profectus est ad eum Gengam versus, in quo itinere periit, aut propter honestũ munus, quod à Carolo acceperat, interfectus, aut alioquin ab ignotis, ut fit in bellicis tumultibus, trucidatus. Ranzovius in sua Astrol.

Henricum II. Regem Galliç monuit Gauricus per literas, quinquennio antequam moreretur, ut finito 41. ætatis anno vitaret duellum, astra enim minari vulnus in capite, quod vel cœcitatem, vel mortem protinus afferret.

Franciscus Gonzaga, Marchio Mantuæ, à Malvetio Bononiensi captus est, quod multò ante expresè ei prædixerat Gauricus. Hic idem Paulo III. indicavit, ipsum certo anno Pleuritide laboraturum, aut in aquis periculum vitæ subiturum, quod

cùm

cùm accidiſſet, ob prædictionis veritatem remunerandam fecit eum Epiſcopum Civitatenſem, & equitem S. Pauli.

Junctinus teſtatur Julianum Riſtorium à Prato, edidiſſe Prognoſticon anno 1528. in quo multa verè prædixit, ut non ſolùm obſtupefecerit Florentinos & Romanos, ſed univerſam quoque Italiam, Gallorumq; & Hiſpanorum exercitum.

Junctinus prædixit Henrico Poloniæ Regi, Henrici Gallorum Regis filio, anno 1572. in tractatu de ſtellis fixis, cùm haberet Procyonem in horoſcopo, quæ ſtella regna & imperia decernit, illum ad majora rerum culmina perventurum, antequam Rex Franciæ eſſet factus, quod etiam contigit anno 1574.

Scribit in ſua hiſtoria Natalis Comes, quòd cladem Gallorum factam ad S. Quintinum, in qua Monpenſerius, Conneſtabilis, Mareſchalcus S. Andreæ, Reingrafius, Lanſaccius, & fermè bis mille nobiles capti & interfecti ſunt, multò ante prędixerit Michaël Noſtradamus, rerum Aſtronomicarum periſſimus, cum multis inde ſecutis calamitatibus. Et addit Natalis Comes verba ſequentia: Neque enim tam fallax exiſtimari debet, ut aſſolet, prædictio, quæ à peritiſſimis fit aſtrorum, cùm Deus optimus rerum omnium moderator non ita occultas eſſe aliquando imminentes calamitates voluerit, ut eas devitare non poſſimus, ſi expergiſcamur. Sed propter inſcitiam ferimur plerumq; tanquam prono alveo fluminis, neq; ſtudemus per ſapientiam viribus aſtrorum reſiſtere. Nam profectò facilius eſt ſapienti præviſum quàm ignoratum periculum devitare, cùm imprudentia contra, & inſcitia periculi devitandi ipſa propè ſit neceſſitas. *NB.* *NB.*

Sixtus ab Hemminga edidit quidem Aſtrologiæ refutationem, nihilominus tamen in genitura Johannis Auſtriaci fatetur, quod deduxerit 7. annis ante mortem Auſtriaci pro vitæ *NB.*

longitudine Lunam ad oppositum Saturni, & horoscopum ad corpus Saturni, & quòd pervenerit Lunæ directio ad Saturni oppositum annis 31. & mensibus 7. quo ipso tempore ætatis suæ, & anno, & mense, & die Austriacus fatis obtemperavit, peste scilicet anno 1578. 2. Oct. hor. 2. pomerid. extinctus. Et addit: Si in omnibus nativitatibus, vel etiam plerisq; hoc pacto convenirent eventus cum directionibus, solam se Astrologiam magnifacere velle, eamq; præ cæteris scientiis unicè amplecti, & tanquam divinam colere.

Matthæus Delius Danus constituens in Oenoponte Philippo Hisp. Regi figuram nativitatis anno 1551. Medico Cæsareo Caroli V. tempus nativitatis ipsi præscribente, judiciumq; ejus postulante, prædixit, ex Marte in secunda retrogrado & damnato à Luna, Lunâque vicissim ab illo, significari ei paternæ substantiæ diminutionem aliquam, Solemq; in domo cadente diminutionem potentiæ ejus, cùm visa esset maxima. Erexit etiam eodem loco & tempore Carolo, Philippi Regis filio thema, in cujus expositione scribit sequentia: Hæc figura inchoata est in ipsa cōjunctione luminarium incidentium in tam gravissima loca Eclipsium præcedentis anni, ita ut nō debito tempore prodierit infans, & mirum quòd ipse unà cum matre non perierit, raròenim veniunt ad senectutem, & si vivunt maximas experiuntur adversitates. Quidam carent visu, quidam auditu, alii loquela, ut hic natus, tamen processu temporis mutabitur, non erit tam longævus quàm pater, morietur in adolescentia, post directionem Saturni ad ascendens.

Michaël Eitzingerus refert, Philippum Melanchthonem, cùm Gulielmus Nassovius Auriaci pater filiorum genituras ei obtulisset, & de singulis judicium ejus exquirens, eam quæ est
NB. Auriaci considerasset, dixisse, multa quidem eum moliturum ac magna, sed mortem fore violentam. Idemq; ipsi Cornelium

Gem-

Gemmam & alios prædixisse Eitzingerus refert. Est autem an.1584.30.Jul. tribus plumbeis globulis è parva bombarda à nobili Burgundo Balthasare Serac, aulæ suæ familiari, emissis, Delphis in Hollandia, vita privatus, ut ita Philippi, Cornelii Gemmæ & aliorum prædictioni eventus responderit. Natus est anno 1533.13. April. circa hor. 14. aquario ascendente, qui à Marte cum altero luminari hostilibus radiis impugnabatur, unde facilis fuit de violento exitu prædictio.

Scribit Schleidanus, Carolum V. iisdem Calendis, quibus natus erat, Imperatorem creatum fuisse. Habuit autem in ortu Capricorni sidus, quo sidere etiam natus fuerat Augustus, qui propterea nummū felici Capricorni sidere percussit, ad quod etiam Horatius alludit, cùm Hesperiæ tyrannū Capricornum appellat: eodem sidere Carolum Borbonium, & Cosmum Medicen natum Cardanus scripsit, Selinum quoque Turcarum Principem, qui 7. Calend. Sept. eodem mense quo Augustus Marcum Antonium vicit, Regem Persarum Hismaëlem in Caldezanisis campis fregit. Biennio post iisdem Calendis Campsonem Soldanum de Imperio dejecit. Hi omnes habuerunt Capricornum in ortu, & singuli ad maxima imperia regna, ducatus, & opulentas hæreditates pervenerunt, multaq; & gravissima bella felici exitu gesserunt. Unde hujus artis consensus intelligi potest. Quo fundamento proculdubio nixus Basilicus Mathematicus, prædixit Cosmo Florentiæ Duci, cùm adhuc privatus esset, deque eo nihil cogitaretur, ingentis opulentiæ hæreditatem ei portendi, quòd in ipso genituræ horoscopo Capricorni felix astrum mirabili conspirantium siderum aspectu irradiatum esset. Autor Jovius.

Idem Alexandri cædem magna cum multorum admiratione indicavit, & tanta animi confidentia, ut certum quoque percussorem designaverit, qui esset ei intimus, habitu gracili,

ſuſpenſa taciturnitate, ferè cæteris inſociabilis. Quibus indiciis quaſi digito monſtrabatur Laurentius Medicus, qui nefario auſu ipſum contra omnia conſanguinitatis jura in cubiculo trucidavit. Idem Jovius.

Adducendus deniq; in hunc chorum eſt Galenus lib. 3. de diebus criticis, de reliquis prædictionibus: & Hermes Triſmegiſtus in Jatromathematico, hoc eſt, in ſua Medicinæ cum Matheſi conjunctione inquit: Illud denuò repetendum eſt, quod nos obſervantes veriſſimum eſſe experti ſumus, ab Ægyptiis Aſtronomis inventū, Lunam non modò ægris, ſed etiam ſanis dies tandem quales futuri ſint, poſſe prænunciare. Si enim ad Planetas temperatos ſteterit, quos Salutares Latini nominant, fauſtos & bonos producere, ſi ad intemperatos, graves moleſtosq;. Fingamus homine quodam naſcente ſalutares Planetas in ariete, malignos in tauro eſſe. Is homo cùm Luna in ariete, cancro, libra, & Capricorno fuerit, pulcrè habebit. Cùm verò taurus ipſum, vel tetragonum aliquod, vel diametrum ſignum occupat, malè tunc & funeſtè vitam tranſiget: atq; jam morborum initia huic, cùm Luna in Tauro, Leone, Scorpione, & aquario fuerit, peſſima, ſine autē periculo & ſalubria ſunt, cùm Arietem, Cancrum, Libram, Capricornū Luna percurrit. Hoc verum eſſe, non ſolùm Medici hujus ſeculi prorſus affirmant, ſed & quotidiana experientia teſtatur, ipſiq; ægroti ſenſibiliter percipiunt, quemadmodum etiam ego hoc verum eſſe ſenſi & expertus ſum. Nam cùm in juventute mea ex aſthmate valde laboraverim (quo jam divina favente gratia liberatus ſum) ex conjunctione Lunæ cum Saturno aut Marte, & futuro ſigno aſcendente ab ipſis tempore nativitatis meæ læſo, certò mihi ipſi prædicere potui, qua die & hora eſſem laboraturus: quam etiam ob cauſam huic arti, & Medicinæ, majore ſtudio & labore deinceps incubui, ut ſic propriæ ſanitati, quæ omnibus tri-

umphis

umphis & divitiis in tota vita præſtantior eſt, morbi neceſſitate adductus, conſulerem. Hæc Hermes.

Hactenus de variis & mirabilibus effectibus ac eventibus ex aſtrorum vario concurſu, diverſaque irradiatione in hominibus, quos Aſtrologi diligentiores obſervarunt: ſequuntur nunc hiſtoriæ de Planetarum, inprimis ſuperiorum conjunctionibus, oppoſitionibus, Eclipſibus ac Cometis, futurorum & calamitoſorum ſæpè eventuum prænunciis, ut ſunt diverſi generis morbi, bella, ſeditiones, frugum corruptio, &c. tales enim prædictiones, quæ ſumuntur ex conjunctionibus & eclipſibus, eſſe ſigna vera divinæ jam imminentis vindictæ, monentia homines de futuris calamitatibus & mutationibus, omnium ſeculorum monimenta teſtantur, ut luculentè videre eſt ex annexo ſub finem inſigni tractatu Cypriani Leovitii, (excuſo Laulingæ, anno 1564.) qui Prognoſtici Aſtrologici tractationem ultra 1600. annos in præteritum tempus recurrendo, (quod neminem hactenus feciſſe conſtat) ex ipſius artis fundamentis extructam, nec cœco judicio, nec inani quadam curioſitate abſq; cauſis Phyſicis ſumptã, ſed ex omnium temporum perpetuò ſibi conſentiente artificum obſervatione erudita petitam, hiſtoriarumq; ingenioſa ac certa hiſtoriarum longi temporis collatione firmavit.

Nunc operę quoq; eſſet pretium, conjunctiones magnas ſuperiorum Planetarum, eclipſiumq; numerum ab anno 1584. in annum uſq; currentem 1617. & in ſequentes etiam perquirere ac enumerare, verùm, quoniam ex Calendariis ab eo tempore in lucem editis, ut & ex tabulis motuum omnium Planetarum ſeu Ephemeridibus id facilè, ab intelligentibus præſertim, ſeriemq; annorum & menſium diligentius conſiderantibus, obſervari poteſt, plura etiam addere ſuperſedebo.

Unum tamen omiſſum non oportuit, cùm Leovitius

...m qua ...n lumi- ...obser- ...& pau- ...sola-

nullam fecerit mentionem Eclipsium lunarium, sed tantùm & præcipuè solarium, non videbitur alienum planè ab instituto nostro, Lunarium etiam eclipsium, earundemq; effectuum expositionem quandam, relationemque historicam ex superiori seculo addere.

Sic paulò ante prælium Alexandri & Darii ad Arbelam, in quo prælio Darius periit, & Monarchia Persica ad Græcos translata est, eclipsis Lunæ visa est.

Pridie quàm Perseus cum Romanis prælio decertavit, Luna nocte defecit, quod ostentum cùm multi reformidarent, & à pugna abstinendum esse Regi dicerent, infausto consilio certamen, quod detrectare & effugere poterat, iniit temerè, in quo Imperium, opes, & libertatem simul amisit. Plutarch.

Eclipsis quoque Lunæ præcessit bellum sacrum, quod cum Phocensibus gestum est, & duravit 10. annos. Diodorus, Pausanias.

Sic Lunæ Eclipsis fuit eo anno, cùm secundum bellum Chartaginense seu Punicum incepit. Polybius.

Ab urbe condita 584. 3. Sept. fuit Eclipsis Lunæ, & altera 22. die ejusdem mensis, cùm Æmilius Paulus Regem Macedonum Perseum vicit & cepit. Livius, Florus.

Eclipsis item Lunæ præcessit obitum Herodis Magni.

Luna in aquario cruentata est circa mortem Domitiani, ut ipse prædixerat pridie quàm periret, aliquod factum futurum, de quo loquerentur homines per terrarum orbem.

Paulò ante Alarici adventum in Italiam insignes Solis & Lunæ defectiones inciderunt, & stella crinita fuit conspecta. Sigon. de Imper. Occid. c. 10.

...s Solis.

Anno 394. Theodosius Eugenium vicit, & Theodoritus ac Zozimus biduò rem confectam scribunt hoc modo: Cùm defectio Solis incidisset tanta, ut noctis tenebras adæquaret,

Gothi

Gothi prope omnes (decem autem millia fuisse feruntur) unà cum Barurio Duce desiderati sunt, noxque prælium diremit. Sigonius.

Anno 345. sub Constantino in Italia res admirandæ, & portentorum similes evenêre, siquidem, ut notat Cedrenus, terra adeò vehementi motu concussa est, ut 12. oppida in Campania procubuerint: Sol autem tanta obscuritate infectus est, ut stellæ interdiu perinde ac noctu micuerint. Sigon.

Eclipsis totius Lunæ præcessit captivitatem urbis Imperatricis Constantinopolitanæ, quæ facta est ab Andronico jun.

Mortem Cæsaris Andronici senioris duæ Eclipses præcesserunt: prima fuit Solis per tot dies, quot annos ille vixerat. Hanc secutus est defectus Lunæ 12. Febr. quo die circa noctem obiit. Nicet.

Scythæ Istro trajecto Romanorum Thraciam usque ad Hellespontum incursarunt, quam cladem Solis & Lunæ defectus intra dies 16. consecuti, portenderunt: contigitq; lunaris in prima, solaris in 15. piscium. Nicet.

Anno 680. Luna splendorem suum mirabili obscuritate fœdavit. Julio autem, Augusto & Septembri Romæ tetra adeò pestilentia est oborta, ut frequentatis funeribus Libitina nõ sufficeret, reliquam inde Italiam adorta, inprimis Papiæ urbem ad vastitatem redegit. Sigon.

Anno 807. Luna ter obscurata, & semel Sol: & cùm prima eclipsis Lunæ visa est, apparuerunt in aëre eadem nocte acies miræ magnitudinis: triennio post eclipses etiam 4. visæ: paulò post secuta mors Caroli Magni, cujus occasione multæ confusiones in Europa exortæ. Eginbertus.

Paulò ante memorabilem stragem Caroli Magni in montibus Pyrenæis, Sol adeò obscuratus dicitur, ut stella Mercurii prope illius centrum velut candidior macula spectaretur.

Anno 1327. 1. Decembris die fuit eclipsis Lunæ: pauloq; post mortuus est Ottomannus, ex quo Turcarum Imperatores descendunt.

Anno 1356. in principio Martii fuit eclipsis Solis, nec non anno eodem eclipsis Lunæ: quas secuta est pestilentia: & Eduardus Angliȩ Rex fudit Francos, cepit Regem cum filio Philippo, & abduxit secum in Angliam.

Anno 1544. tres fuerunt eclipses lunares, & una solaris, quas secutæ sunt res non visæ à Caroli Magni tempore, ingens bellum inter Cȩsarianos & Gallos, inter Anglos & Scotos, cum magna agrorũ vastatione & clade hominum, religionisq; causâ persecutio magna. Schleidanus l. 15. Fuit quoq; eo ipso anno conjunctio Saturni & Jovis. Sic anno 1556. in Novembri utriusque luminaris fuit eclipsis, quarum effectus & operatio in sequentem 57. annum se extendit, & 5. Martii die visus est Cometa in Germania, quem Constantinopolitani viderunt 12. dies flagrare. Paulus IV. Pontifex movit bella in regno Neapolitano contra Philippum Regem Hispan. 26. Februarii moritur elector Palatinus Fridericus, filius Philippi: Turca facit eruptionem in Stiriam, & multa oppida devastat, Sigethumq; obsidet. Anno 1557. Albertus jun. Marchio Brandeburgensis, Casimiri filius, moritur 8. Jan. Et eodem anno Regis Philippi Hisp. exercitus vicit Gallos apud S. Quintinum, & præcipui ex nobilitate capti, multiq; interfecti.

Anno 1558. eclipsis Lunæ 2. Apr. sicut & anno 1559. eclipsis Lunæ 17. Sept. visa est, quibus annis sequentia contigerunt: In principio Januarii Rex Galliarum cepit urbem Calethum: Christophorus Dux Braunsuicensis, Archiepiscopus Bremensis obiit. Item Leonora, Caroli V. & Ferdinandi soror, Emanuelis Portugalliæ primò, postea Francisci Galliæ Regis uxor: Archiepiscopus Coloniensis Antonius de Schauenburg 21. Se-

ptemb.

ptemb. Carolus V. in Hisp. in S. Justi cœnobio, quem Maria soror ejus, Ludovici Regis Ungariæ uxor ferè post mensem secuta est. Georgius Comes Wirtembergensis 21. Dec. Maria Regina Angliæ, Philippi Regis Hisp. uxor extincta est 16. Calend. Novembr. Reginaldus Polus Cardinalis doctus, natus ex Margaretha, Eduardi IV. Anglorum Regis nepte, hoc etiam anno è vivis excessit. Anno verò 1559. 1. Jan. Christianus III. Daniæ Rex moritur, quem secutus est Christiernus II. quondam Rex Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ, affinis Caroli V. captivus: & Ottho Henricus Comes Palatinus Elector 12. Febr. Lucas Gauricus Episcopus 6. Mart. Johannes Gropperus Cardinalis 14. Mart. Episcopus Herbipolensis Melchior Zobel 15. April. trucidatur bombarda. Franciscus Ottho Dux Luneburgensis 29. April. obiit. Henricus Rex Galliarum in hastiludio circa oculum per Galeam læsus, obiit diem suum 10. Aug. Paulus IV. Pontifex 18. Aug. Hercules Ferrariensis Dux 3. Octob. Dithmarsia à Friderico II. Rege Daniæ, Ducibusque Holsatiæ est subacta, antehac libera & invicta gens. Moscovita quoque incredibilem exercuit tyrannidem in Livonia. Episcopus Labacensis Donnaverda fregit collum. Regina Scotiæ periit. Bajazetes & Selimus, Solimanni filii dimicant inter se.

Anno 1560. fuit eclipsis Lunæ 12. Mart. Solis verò 21. Aug. quo tempore & anno mortui sunt Philippus Dux Pomeraniæ. Johannes Fridericus, Johannis Friderici Electoris nepos. Gustavus Rex Sueciæ 29. Sept. & 5. Decemb. Franciscus II. Galliarum Rex.

Sed quid memorem singulis ferè sequentibus annis eclipses visas, quas tyrannica facinora, cruenta bella, injustę & contra datam fidem cædes, rapinæ, proscriptiones, interfectiones insontium, trucidationes bonorum, morborumq; varia genera sunt subsecuta, quæ conticenda potius sunt quàm recensenda,

da, ne conſolidata ferè vulnera refricentur, præteritarumq; ærumnarum memoria renovetur. Taceo nunc horrendam illam admodumq; calamitoſam Lunæ eclipſin factam hoc anno 1617. 6. Aug. hor. 8. pomeridiana, ut ita univerſalis experientia teſtetur, omnium prædictionum Aſtrologicarum certiſſimas & veriſſimas eſſe eas, quæ ſumuntur à loco, quantitate, & tempore eclipſium Solis & Lunæ, quas artifices, aſtrorumque cultores & obſervatores longè ultra hominum memoriam ante Chriſtum natum, & pòſt etiam prædixêre, effectusque earum expoſuere, & jam adhuc eas futuras ſcriptis ſuis Ephemeridibus Aſtrologi indicant. Qui igitur ſiderum motus numeris perſequuntur, ea prædicunt, quæ naturæ neceſſitas perfectura eſt, videntq; ex conſtantiſſimo motu Lunæ, quando illa è regione Solis poſita incurrit in umbram terræ, quæ eſt meta noctis, ut eam obſcurari neceſſe ſit. Cumq; hæ Eclipſium prædictiones ex certis & veris demonſtrationibus conſtent, (nam infallibiliter, quot eclipſes præterlapſæ fuerint, ſubductis numeris colligi, & quæ adhuc futuræ ſint, prævideri & prædici in multa ſecula poteſt) & experientia univerſalis teſtetur, eclipſes, regionibus damna, nec non hominibus incommoda plurima, Principibusq; mortem plerunq; præſignificare, id quod etiam hactenus enumerata exempla confirmant, ſequitur certè, Aſtrologorum divinationes vanas non eſſe, cœleſteſque ſignificationes, quas Deus ſingulari conſilio in cœlo ſpectandas, certis temporibus in conſpectum producit, prorſus irritas non eſſe, proindeq; extremi ſtuporis, hominiſq; plus quàm Epicurei, cyclopicoq; furore prorſus dementati, & præ inſania immenſa nihil amplius ſentientis, divina illa decreta & ſignificationes, exibilare. Ac perſuadere cœli fatiq; poteſtatem quoq; videntur multa, quæ quaſi ſupra vires mortalitatis fieri videmus, multa præter rationem, ordinem & inſtitutum conditio-

nis

...r omnes ...ictiones ...ologicas ...ſſimæ ſunt ...ab Eclipſi- ...deſumun-

...ntra pri- ...um homi- ...m genus ...ncluditur.

nis humanæ. Hic ad Philosophiam; ille ad Poëticam aptus natus est: hic arma tractat felicius, alius aliter: hic sanus, ille morbosus: hic audax, ille meticulosus: ille placido, ille turbido ac minaci ingenio est: sunt in exemplis, qui ab aratro ad purpuram & regnum vocati, & ignobilis miles Imperator factus. Ita multi, dum se planè dejectos credidêre, in sublime rapti sunt, multos exilia claros fecêre, & optata consecutis sæpè exitio fuerunt & opprobrio. Quæ certè astrorum potestati quodammodo asscribenda sunt, divino scilicet nutu sæpè delusâ hominum prudentia res administrante, cœlestiumq; dispensatione hæc inferiora regente. Alexander tam citò vicit Otientem, quàm vidit. Marius septies Consul, totiesque exul, & ex exule rursus Consul factus est. Julius Cæsar subitò Romanum Imperium subegit. Pompejum Rempubl. Romanam defendentem fortuna deseruit. Cato sapiens seipsum interfecit. Augustus, Antonius & Lepidus, ut soli in Republ. dominarentur, cęteros excellentes viros, inter quos etiam amici & propinqui fuerunt, unus in alterius gratiam per proscriptionem propositis præmiis interfici curarunt. Et rectè Firmicus ait: Fortis ab ignavo superatur (ein Bernheuter ersticht offt einen dapffern Mann) bonum prosternit inferior, justo justitia non prodest, castos providentia sæpè decepit, pudicis ac sobriis impudicus & dissolutus in honoris petitione prælatus est, jacent strenui, vincunt timidi, laudantur improbi, probi deridentur, & quicquid huic profuit, illud alium incauta imitatione decepit, astris sic dispensantibus. Atque hinc fit, ut quidam insatiabili Veneris desiderio pruriant, non quidem ex parentum solùm instillatione, sed peculiari astrorum positu & influxu. *NB.*


Et ex astris miram quandoq; fortunæ varietatem pendere exempla nostri seculi attestantur. Christiernus II. Rex Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ tribus avitis regnis ejectus est, & in

captivitate detentus per annos ferè 27. cùm uxorem haberet Caroli V. ſororem, & unicam ſororē ſuam Joachimo Electori Brandeburgenſi elocaſſet, cæteriq; ferè Principes Germaniæ ei ſanguine eſſent juncti, ac quoque duas filias progenuiſſet, quarum una Duci Mediolanenſi, ac poſtea Lotharingico, altera Electori Friderico Palatino nupſit, tamē eum propria potentia, familiæ dignitas, affinium & amicorum ſplendor & majeſtas defendere, & captivum liberare non potuerunt. Ericus quoq; Suetiæ Rex fratrem Johannem Ducem Finlandiæ captum in carcerem conjecit, qui elapſis paucis annis, fratre rurſus carceribus incluſo regnum eſt adeptus, ita, ut qui modò Rex, poſtea captivus, & qui paulò ante captivus fuerat, mox regno viciſſim potitus ſit: atq; ſic omnia regna fatali cuidam poteſtati & varietati ſunt ſubjecta.

Concluditur igitur firmiter, Deum ſingulares vires & poteſtates ſtellis indidiſſe, & has tanquam milites ſui exercitus ſæpiſſimè vagari permittere: dico indidiſſe, non tantùm in amplum aërem eas exerendo, verùm etiam in corpora & humores hominum ſingulorum (magis tamen in hunc quàm illum) quos pro ſua quæq; natura & viribus afficit & diſponit. Unde aſtra ſunt ſigna, & velut typographi, quorum characteribus primùm animus noſter eſt informatus, appellanturq; à Patribus, vates, præcones, exercitus cœleſtes, legati mandata Dei exequentes & angelorum. Et horum miniſterio utitur Deus ferè ſemper, ut mediis & cauſis ſecundis, (quanq; multa agit illis planè non adhibitis) & ſic utendo conſervat illorum efficaciam & virtutes, quas illis ab initio creando infudit, & ſinit eas tales exercere, pro ad illi libuerit. Divus Ambroſius ἀκροτελευτίῳ huic meo Aſtrologico imponet coronidem, dicens: Elementa compati, cùm luminaria patiuntur: nam horum triſti deformiq; aſpectu omni tempore hominum animi conterriti expaverunt,

verunt, trepidaruntq́;, occulto ſcilicet ſenſu naturæ præſagiente ſecutura damna. Hæc Ambroſius. Eat nunc ſtolida turba, ac aſtrorum poteſtates derideat, ſecureque & ſuperbè has cœleſtes ſignificationes, magno cum ſuo detrimento ac periculo abjiciat atq; contemnat. Deus ſe derideri non patietur. Phryx non emendatur niſi plagis, fruſtrà verò Neptunum invocat, qui ſecundò patitur naufragium.

Prudentiores facilè haud dubiè ſe admoneri hinc divinitus animadvertent, ut diſcant matura pœnitentia, & vera pietate ad Deum confugere, & antevertere iram Dei horrendam adverſus peccata noſtra, pœnarumque futurarum præcavere gravitatem.



BREVIS ET SOLIDA CONFUTATIO præcipuorum argumentorum, quibus pars adverſa divinationem omnem ex aſtris rejicit, atq; eludit.

FInem ἀκροθιγευτίῳ meo imponere hîc meritò poſſem, cùm ferè omnia, quæ in contrarium afferri à Sciolis ſolent, partim ſint adeò elumbia & ſtraminea, ut vix ſint digna, quæ in hominum veniant memoriam, partim etiam ex ſupra, & quidem ubi triplex hominum genus circa divinationes Aſtrologicas vivis coloribus eſt depictum, in medium allatis argumentis tam artificialibus, quàm inartificialibus, facilè confutari poſſunt. Quædam enim ſunt ejuſmodi, ut laborioſo reſponſo opus non ſit: quædam inania ſunt commenta, nec firmamenti veriq; præſidii habent quicquam, & ſatis eſt, ſi ſimpliciter eludantur: alia ſunt ita comparata, ut ſtolidum & ſupervacaneum ſit in illis diu immorari. Non igitur ægrè feres, amice lector,

nec me contra officium deliquisse objicies, si inertiæ, vitupe-riorum, & ignavorum πτερισμάτων, quibus intra modestiæ cancellos manentibus opus non est, me profitear hostem implacabilem. Memor enim Patrocinii, quod veritati Astrologicæ ex officio debeo, quid me deceret, perpendi, præsertim cùm intelligerem ad omnium artium Studiosos non parum inde utilitatis perventurum. Sed procedat argumentum primum.

Quicquid expresso Dei verbo est prohibitum, id est illicitum. Divinatio Astrologica expressa Dei verbo est prohibita. Ergo est illicita. Probatur minor ex vers. 10. & 11. Deuter. cap. 18. Cùm veneris in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave imiteris abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, observetq; somnia, sortilegia, atq; auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, divinos, & quærat ex mortuis veritatem, omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter hujusmodi scelera delebit eos, &c. Hoc Achillæum est adversariorum, cujus assumtio est falsissima: primò enim distinguendum est inter divinationes seu prædictiones vanas, superstitiosas, illicitasque, quæ noxiis fallaciis homines deludunt, dæmonumq; fraudibus ac maleficiis intricatæ sunt, quas nemo nisi facto cum dæmone pacto exercere potest, ut Cyprianus l. de duplici martyrio, & August. lib. 2. de doctrina Christ. c. 23. testantur: Et prædictiones, quæ procedunt & sumuntur ex causis, & signis naturalibus, nec nõ inviolabili motuum cœlestium lege & observatione, & propterea veritate non carentes.

Primum divinationum genus meritò & rectè infame, & Deo est abominabile, ordiniq; & divinis oraculis contrarium, propterea quòd Pythonem Delphicum λοξὰ responsa & ambigua oracula dantem, & Pythonem Chaldaicum habet autorem.

rem. Maximè autem viguit hoc divinationū genus apud Chaldæos & Ægyptios, qui vanis commentis artem & cœlum repleverunt, omnium hominum fata, omniumque, quæ eveniebant, causas ex cœlo, horis Planetarum, astrorumq; positu, tanquam inevitabili quadam necessitate deducentes. Hæc est illa Astrologia, quæ corrupto nomine est Genethliaca dicta, à S. S. Patribus, Theologis, Medicis, Philosophisq; rectè damnata, de qua intelligendi sunt omnes S. S. textus, Levit. 19. & 20. Deut. 18. Esa. 47. Jerem. 10. & plures alii: cùm nihil sit aliud, quàm illicitę & pernitiosę Magię species, &c. de qua æquus lector plura legat in responso meo Antijesuitico, edito Francofurti nundinis vernalibus hujus anni. Ergo crassa inscitia est, hanc à vera & Christiana non discriminare, nec animadvertere, textum ex Deuter. allatum de naturali & erudita Astrologia intelligi non posse, cùm expressis verbis fiat mentio auguriorum, sortilegiorum, hariolorum, maleficorum, incantatorum, atque eorum qui ex mortuis quærunt veritatem, necromantici dicti & necyomantici, quibus cum Christianus Astrologus nihil habet commune, imò tantum dissident, quantum ipsa Magia dæmoniaca à vera & naturali. Tantum de primo.

2. Quæ soli Deo competunt, ea nullo sibi arrogare jure homines possunt.

Futurorum contingentium scientia soli Deo competit: Ergò nullo jure sibi eam homines arrogare possunt: minor probatur, quia Deus futurorum contingentium scientiâ ab omnibus rebus creatis distinguitur, ergo etiam futurorū scientia ei soli competit. ℞ ad assumptionem, distinguendo inter futurorum scientiam distinctam & perfectam, & futurorū scientiam indistinctam & imperfectam. Deus omnium futurorum præscius eorundem scientiam habet ab æterno, & perfectissimam, homo verò futurorum scientiam adeptus est obscuriu-

sculam

ſculam & indiſtinctam, hoc eſt, conjectare poteſt ex ſignis quibuſdam id, quod futurum eſt, παχυμερέστερον. Quanquam enim, inquit Michaël Glycas, homo in paradiſo peccavit, & conceſſum ſibi vaticinandi munus amiſit, non tamen miſericors ille Deus prorſus eum ſimilē voluit brutis evadere: unde ſigna ei quædam ſuppeditavit, de quibus interdum futura proſpiciat, eoq; pacto ſecuritati ſuæ conſulat. Nec, inquit Richardus Dinothus Normannus de Aſtrologia, inquiſitio aſtrorum, ſecretarumque virium ac influxionum eorum, Dei providentiæ derogat, imò ipſius Dei majeſtas magis illuſtratur, cùm tam magnas res eum per creaturas ſuas efficere intelligimus. Rectè quoque Sixtus ab Hemminga nobilis Friſius in Epiſt. ad Henr. Ranzovium ſcribit: Cœlum expanſum, & infinitis luminibus exornatum, repręſentat nobis imaginem æternitatis, ſed cujus literas, lectionem & intelligentiā perfectè non tenemus. Non igitur valet conſequens, Deus perfectiſſimam habet omnium futurorum ſcientiam, ergo homo planè nullam: ſic enim Aſtronomorum de eclipſibus prædictiones quæ certæ ſunt, & Medicorum etiam præſagia in morbis acutis, quæ rarò fallunt, vana eſſent & irrita. Unde Hippocrates l. de aëre, aqua & locis jubet aſtrorum ortus & occaſus obſervare, ut Medicus futurum anni ſtatum poſſit præcognoſcere. Futurorū igitur ſcientiâ homines defraudandi omninò non ſunt, quamvis pauci ea ſint imbuti, nec omnes pari felicitate & induſtria, quoniam cœlum, tanquam liber apertus, in quo futura per ſtellarum & luminarium tranſcurſus ſignificantur, iis tantùm recluditur, qui aſtra divinæ virtutis inſtrumenta quædam, & divinæ providentiæ documenta eſſe ſtatuunt, Deoq; velut primariæ cauſæ aſtrorum effectiones aſcribunt. Impium enim eſt aſſeverare, Deum non poſſe in hæc inferiora agere, niſi mediantibus corporibus cœleſtibus. Quicquid enim in hoc mundo per aſtrorum

ſtrorum diſpoſitiones efficitur, omnia in Deum effectus cœleſtes dirigentem rectè referuntur. Atque hoc ipſo etiam refellitur argumentum, quod ſequitur ordine tertium.

3. Si Deus non poteſt operari, niſi adhibitis mediis, id eſt, cœlo & ſtellis, ut volunt Aſtrologi, erit imperfectus. Sed verum primum, ergo & poſterius. ℞ primò ſaniores Aſtrologi, totum ſyllogiſmũ laborare morbo falſi & fallacis conſequentiæ: propoſitionis enim antecedens ex Chalcidico Platonico, & Epicuri deliramentis deſumptum falſiſſimè ſanis Aſtrologis tanquam pronunciatum tribuitur.

Deinde non ſequitur: Si Deus indigeret mediis in operando, eſſet imperfectus, id enim non oriretur ex divinæ virtutis defectu, ſed ipſius effectus inferioris imbecillitate, qui ex ſua imperfectione ita perfici non potuit: unde Plato in Timæo inquit: Non licet purum ab impuro tangi: quemadmodũ enim oculus imbecillis meridianam lucem intueri nequit, devexo tamen lumine Solem inſpicit, ita effectus inferior à Deo immediatè non producitur, qui ſplendorem inhabitat inacceſſum, cujusq; oculi penetrantiores ſunt lucidioresque ipſo Sole, ſed medio inſtrumento cœlorum: Summus enim conditor ſuaviter cuncta, eleganter & ſapienter compoſuit atq; diſtribuit: ita quidem ut cœlum, Olympiciq; habitaculi cives in operando à Deo tanquam cauſa prima dependeant.

Huic ſuccedit 4. Si aſtra agunt ſeu vires ſuas exercent in humores corporis humani, quod unanimi conſenſu profitentur & concedunt omnes, utique etiam agent in voluntatem ipſam, & ſic voluntas hominis libera ſubjiceretur dominio ſtellarum, quod abſurdiſſimum. Nobilius enim ignobiliori ſubjectum eſſe nequit, ſicut nec agens paſſivo excellentius, & materiale immateriali præſtantius cenſeri debet. Hoc argumento omnem de prædictionibus Aſtrologicis ſcientiam convelli ac

labefactari firmiter arbitrantur. Itaque tantò solidius est eis respondendum, quantò confidentius id sibi persuadent.

Principales syllogismi sunt: 1. Immateriale materiali est præstantius: at voluntas est spiritualis, cœlum materiale, ergo cœlesti illa corpore nobilior est, quare etiam ei non subjicitur.

2. Voluntas humana est libera, Arist. lib. Ethic. & alibi, cœlestibus igitur corporibus non subjicitur. Consecutionem probant, quia ex Aristotelis sententia cœlum ex necessitate agit, quare necessariò movebit voluntatem, unde coacta manebit, non libera.

℞. ad 1. Voluntas, quâ voluntas est, corporibus cœlestibus non subjicitur propter rationem allatam: quâ tamen humana est, & sine corpore operari nequit, saltem ut ei conjuncta est, corporibus cœlestibus dicitur obnoxia, quia hoc modo materialis nuncupatur, ratione scilicet subjecti, quod materiale est. Cùm enim homo duabus constet partibus, corpore & anima, corpus instrumenti locum obtinet, quo mediante anima agit & operatur: unde si corpus fuerit benè affectum & dispositum, anima quoque benè operatur: si verò corpus malè dispositum fuerit, anima quoque ipsa secundum actionem integra non erit. Sic cœlum & astra dicuntur agere in inferiora hæc corpora, & in corpus etiam hominis, non verò in animã, cumque illud variis modis transmutet, afficiat, alteret & disponat, anima etiam ipsa diversimodè agere cogitur, non quidem per se, sed propter corpus. Unde si corpus corruptum fuerit & inquinatum, ipsa quoque voluntas hominis corrupta deprehenditur, non tamen ut necesse sit voluntatem sequi naturam corruptam, quamvis ad malè agendum sit proclivis, sicut contra in corpore benè disposito anima seu facultas intelligens, & cùm ipsa voluntas & malum cogitare & operari possunt. Licet igitur anima à corpore quodammodo afficiatur, habet tamen

hanc

hanc in ſe facultatem, ut poſſit dictam naturã corrigere, quamvis id fiat majori cum difficultate. Rectiſſimè enim Ptolomæus: Sapiens anima dominatur aſtris.

Ad 2. Hinc facilis reſponſio eruitur ad ſyllogiſmum ſecundum. Cogeretur voluntas, ſi corporibus cœleſtibus eſſet ſubjecta: negatur enim hîc conſequens: ſubdita enim illis eſt quâ materialis, quia ſine re corporali non valet operari, non ut immaterialis, quia ſupra materialia eſt in eligendo: cumq; voluntas formaliter conſiſtat in electione, & in hac ſit immaterialis, rectè infertur voluntatem corpori cœleſti non ſubjici, & per conſequens ejus libertati non derogari, ſi mediante cœleſti corpore movetur. Inclinare igitur aſtra voluntatem duntaxat, non cogere dici poſſunt, teſte Ptolom. l. 1. de aſtrorum judiciis, c. 4. Non autem exiſtimandum eſt, inquit, omnia à ſupernis cauſis in res humanas rectâ derivari, tanquam inviolabili & divino quodam edicto propoſito ſingillatim, ut nulla alia vis obſiſtere, quin ita illa graſſentur, valeat. Nam ipſe quidem cœleſtium corporum motus ſempiternus eſt, & procedit divino & invariabili ordine & lege: Inferiora autẽ mutationibus ſubjiciuntur de ſuperioribus quidem & primis cauſis, ſed accidit hoc illis per conſequentiam legis & ordinis naturalis variabilis: & paulò poſt probat Aſtrologiæ nobilitatem, quia præviſa tela, quò minus ad nos perveniant, declinare poſſumus. Sic Medici de ulceribus vel ut ſerpant, vel ut putreſcant, futurum pronunciant: imò plures ſunt in morbis Medicorum conſtantes prædictiones ex motuum cœleſtium obſervatione.

Sed inſtant Stoici rigidiores, vel potius Stoico Aſtronomi: totum eſſe & operari inferiorum corporum dependet à ſuperioribus tanquã cauſis primis & eſſentialibus: ergo falſum, quod inclinent tantùm & diſponant: Conſeq. probatur, nam diſponentia & inclinantia videntur eſſe cauſæ accidentales &

posteriores. ℞. Corpora cœlestia non solùm ea, quæ eis directè subjiciuntur, qualia sunt materialia, inclinare & disponere, sed etiam procreare causarum instar essentialium. Verùm cùm actiones nostræ eis directè non subjiciantur, dependent enim à voluntate, quæ immaterialis est, ipsa quoq; obnoxia astris non est, unde non possunt actiones nostræ à cœlestibus corporibus cogi urgerive, sed inclinari tantùm atq; disponi.

Hanc autem inclinationem dispositionemq; ab astris accipit nostra voluntas, quatenus præsupponit intellectum, cujus cognitio dependet à sensu: sensibile verò directè & per se cœlestibus corporibus subjicitur tanquam primis suis causis.

Urgetur porrò. Si sidera non cogunt, sed disponunt duntaxat voluntatem, sequitur stante siderea tali inclinatione, voluntatem agere posse adversus illam: Si hoc verum, quæritur, numquid in ea actione, qua voluntas inclinationi superiorum agentiũ adversatur, ab ipsis superioribus dependeat, vel non? primum asserendum non est, quia sibimetipsis superiora adversarentur: neque etiam secundum, quia agens secundum in operando non dependeret à primo, quæ omnia sunt absurda, similiter igitur erit conclusio. ℞. Non sequitur, voluntas non dependet à corporibus cœlestibus in actione, qua eis resistit, ergo agens secundum non dependet à primo, quoniam primum agens voluntatis est Deus, non corpus cœleste, quod dominium non habet in agentia immaterialia, ut est nostra voluntas.

Urgetur tertiò. Dispositi ad scelera, ut Saturnini, Martiales & Mercuriales, semper agunt secundum congenitam dispositionem, ergo non tantùm disponunt, sed etiam cogunt sidera, quod enim semper est tale, necessariò est tale. ℞ antecedens absolutè verum non esse, multi enim pericula evaserunt fatum prævidentes, ut patet de Augusto, referente Valer. Max.

l.1.

l.1. & pluribus aliis; quorum catalogum vide ſuprà in principio hujus tractatus. Contingit tamẽ utplurimùm, ut plæriq; congenitam aſtrorum ſequantur inclinationẽ ad ſcelera, perpauci enim ſunt, qui rationis imperio morem gerant, quamplurimi verò ſenſibus ducuntur & geruntur, qui prædictis aſtrorum diſpoſitionibus infecti ſunt & affecti: cujus rei hanc rationem aſſignat Ptolomæus l.3. de Aſtrol. jud. c.16. quia Mercurius rationi, Luna verò animæ ſenſitivæ præeſt: at Luna plerumque validior eſt Mercurio duabus de cauſis: primò, quia corpore longè major eſt & luce validior: altera, quia Mercurius propter parvam diſtantiam loci ſui à Sole, ſemper plerumque eſt ſub radiis ejus. Pręterea, quemadmodum una virtus diſponit ad alias virtutes, ſic unum ſcelus & peccatum diſponit ad alia, & fit habitus, qui difficulter exuitur aut deponitur, niſi ſapiens anima ſit præſens. Not. dili.

Quartò. Qui leniori ſunt mente & ingenio, concedunt quidem inclinare aſtra, interim tamẽ ab hac malorum efficientia ajunt Deum non excludi. Sic enim arguunt: Diſpoſitiones hæ ad diverſa ſcelera, quæ multis inhærent, proculdubio ſunt à Deo, qui autor eſt totius entis: vel igitur ſic diſpoſiti labuntur in vitia, vel non: ſi primum, ergo ex Dei diſpoſitione: ſi ſecundum, vana, ſupervacua & otioſa redditur actio divina, cùm hæ diſpoſitiones ad ſimiles lapſus à Deo ordinatæ, effectum non conſequantur. ℞. Has diſpoſitiones datas eſſe à natura, quæ divinæ potentiæ vis eſt atq; facultas, non ut voluntatem ſuperarent, ſed potius ut ipſæ ſuperarentur à voluntate: quare voluntati dedit potentius fortiusque dirigens, quàm inclinans: dirigens namque voluntatem eſt ratio, quæ immaterialis eſt & æterna, diſpoſitio inclinans voluntatem corporea & materialis.

Quintò. Hæ diſpoſitiones ad peccata ſunt cauſa peccati: at hæ diſpoſitiones ſunt à Deo. Ergo Deus eſt cauſa peccati.

℞. Negatur major. Neque enim diſpoſitiones, ſed voluntas eſt cauſa peccati: illæ namq; vel auferunt uſum rationis, vel non: ſi illud, non poteſt intervenire peccatum, culpa enim eſſe non poteſt, ubi ratio non habet imperium: ſi hoc, id eſt ſecundum, voluntas remanet libera in operando, ei igitur imputari debet, ſi malè operatur.

Atq; hi ſunt præcipui arietes, quibus pars adverſa arcem prædictionum Aſtrologicarum expugnatam atque everſam putat, ſine rationis quidem fulcro, at non ſine fuco. Reliqua quæ ſolent contra afferri, perplebeja ſunt & ſolutu facilia. Audiamus tamen.

5. Opinio, quæ introducit Stoicorum inevitabile fatum, eſt explodenda. Aſtrologorum opinio introducit Stoicorum inevitabile fatum: ergo. Major probatur, quia Stoicum fatum è diametro cum decretis divinis pugnat: Minor probatur, quia, ſi cœlum eſt cauſa omnium mutationum, quæ accidunt homini, tam quæ ad bona fortunæ, quàm corporis vel animi, ut docent Aſtrologi, quibus etiam hora mortis non eſt abſcondita, non poſſunt hæc mutari, ſed manent inevitabilia, quia cœlum immutabile eſt, & neceſſariò agit, quicquid agit. Si igitur cœlum omnium hominis actionum cauſa eſt, nullus dabitur locus libero arbitrio, ſed omnes actiones erunt neceſſariæ, & fient etiam nobis invitis, nam qualis cauſa, talis effectus. ℞. Laborioſo reſponſo hîc opus non eſt, ſolutio enim patet ex prioribus inſtantiis earumq; ſolutionibus: ad aſſumtionem autem reſpondebis per diſtinctionem inter Aſtrologiam & Aſtrologos, tantùm ſtellarum obſervationibus tribuentes, ut omnes inde futuros eventus, non tam in his, quæ naturæ vi & inſtinctu fiunt, quàm in iis quæ rationi & conſilio ſubjiciuntur, prædici poſſe exiſtiment, & inter illos, qui quædam ex aſtris præcognoſci poſſe, & quidē παχυμερέστερον, arbitrantur, nullamq;

ſamq; actionum neceſſitatem inducunt. Dico quædam, multa enim ſunt effecta naturalia, quæ ab aſtris tanquam cauſis proximis & neceſſariis dependent, ut ſunt eclipſes, ſiderum ac Planetarum conjunctiones, & oppoſitiones, quæ longè ante præſciri & prædici poſſunt, non quidem neceſſitate abſoluta, ſed ex hypotheſi, cùm Deus tanquā prima cauſa ordinem naturæ à ſe ſancitum pro placito poſſit, non repugnante etiā ulla creatura, immutare, ut patet ex 10. Joſuæ, 4. Reg. 20. atque Eſaiæ 38. cap. Reliqua, quæ in proſyllogiſmo aſſumtionis habentur, partim laborant manifeſtæ falſitatis, partim vitioſæ conſequentiæ morbo. Ac diligenter ſunt diſtinguendi hîc effectus ſtellarum dependentes ab his tanquam cauſis proximis & neceſſariis, ab illis, qui oriuntur à ſtellis tanquam cauſis univerſalibus & remotis: unde, cùm præter univerſalem illam aſtrorum vim propinquiores cauſas requirant, nec ſemper eundem exitum ſortiantur, non etiam certò & neceſſariò, ſed contingenter tantùm præcognoſci poſſunt, ut ſunt tempeſtatum aërisq; viciſſitudines, calores, ſiccitates, pluviæ, fertilitates, ſterilitates, &c. quæ verò conſilio fiunt & ratione, immediatè & proximè ab aſtris non dependent, ut ex ſuprà allatis reſponſionibus ſatis apparet.

6. Stellæ & cœlum ab omnibus qualitatibus oppoſitis, quibus in ſublunaria agant, ſunt aliena & remota, ſiquidem ſunt corpora conſtantia, & omnis corruptionis expertia. Probatur. Omnes enim ſtellæ, præſertim fixæ, eandem habent naturam, & qualitates naturales: omnes propter unum finem & uſum ſunt conditæ, videlicet ut luceant ſupra terram, motuq; ſuo certa temporum ſpacia definiant: pugnat quoq; cum ſtellarum & cœli natura, contrarias iis agendi virtutes tribuere, nempe calefaciendi, exiccandi, humectandi, benefaciendi, malefaciendi, ſerenandi, aëremq; perturbandi: & denique quoniam

niam variæ illæ alterationes in aëre non excitantur à ſtellis fixis, ſed partim ab ortu & occaſu Solis, ejuſdemq́; ad nos acceſſu, & à nobis receſſu, partim à diverſa Lunæ apparitione & illuminatione. Hæc ideò propono, ut ſtudioſi habeant materiam opponendi, & diſputandi. Sed ſtraminea ſunt omnia. Qui enim cœlo propterea qualitates ineſſe negant, quòd nō ſit naturæ elementaris, ſed quintæ cujuſdam eſſentiæ, planè inſenſati exiſtimandi ſunt, quamvis non deſint, qui mordicus contra ſentiant. Eſſe enim in cœlo qualitates, indeq́; ad nos defluere tum ſenſiles, tum occultas & inſenſiles, non eſt controverſum apud eos, qui aſtra diligentius ſunt ſcrutati. Ipſe Ariſtoteles 1. meteor. c. 3. aſtra vocat calida. Et 2. de ort. animal. c. 3. ait, caliditatem, quæ in animalibus eſt, neque ignem eſſe, neque ab igne habere principiū, ſed à diviniore corpore quàm ſunt elementa, provenire: id autem eſſe elementum ſtellarum. Nulla ergo ſolida ratione probari poteſt, ſtellas calidas non eſſe, cùm ſint corpora lucida, & velut candelæ in mundo accenſæ. Et planè ridiculum eſt, imò nullius genii, aſtra ſtatuere in ſuo orbe qualitatis omnis eſſe expertia, & tamen virtute in ſubjectum idoneum agere, qualitatesq́; & motiones excitare, Solem calidum non eſſe, virtute tamen hæc inferiora calefacere & exiccare, imò fovere omnia & vivificare, luce ſcilicet & radiis. Neque enim quæritur, nec in controverſiam unquam venit, an Sol ſit ita actu calidus, ut ignis noſter elementaris, qui ſubſtantia eſt fervida & in omnia graſſans, & Luna ita actu frigida, ut nix, vel glacies, ſed an Sol inſito & congenito calore calefaciat, Lunaq́; humectet? Hoc enim qui negaverit, cœleſtis caloris ſpiritusq́; ſolaris afflatu eſt planè indignus.

NB. Cùm enim cœleſtibus corporibus Aſtrologus tribuit qualitates, non intelligit paſſivas, & ejuſmodi quæ ſublunaris cognationis & corruptionis ſunt, ſed cœleſtes, hoc eſt, naturæ & eſſen-

essentiæ corporum supralunarium conformes & responden-tes. In cœlum, dico, non cadit mutatio successiva, quæ scilicet tendit ex una qualitate contraria ad aliam, quæq; disponit ad corruptionem, & interim tamen non repugnat cœlo mutatio perfectiva aut productiva, quæ scilicet fit sine corruptione aut abjectione alterius formę, quamvis ad sublunaris subjecti conditionem & dispositionem virtus cœlestis semper se accommodet in perficiendo & producendo. Hæc sufficiant ad hunc arietem debellandum.

Nunc singulę syllogismi propositi probationes excutiendæ, falsitasq; demonstranda. Primò enim verum non est, stellas easdem habere qualitates naturalesq; vires: pugnat enim id cum sensu & communi observatione & experientia, quæ duo sunt principia omnium scientiarum. Orionis enim, hyadum, arcturiq; vim in excitandis pluviis & tempestatibus experimur: Caniculæ virtutem in ciendo calore & æstu, & ut uno dicam verbo, pro diverso stellarum concursu, accessuq; & recessu à se invicem, diversas in aëre & hominum corporibus alterationes sentiri, nemo inficiabitur, nisi in Cyclopū & Bœotum agro natus. Quin extremæ ruditatis signum est, affirmare, stellis, præter generalem illam virtutem illuminandi & calefaciendi, occultiores vires non inesse. Licet enim inter se conveniant natura quadam generali, qualitatibusq; communibus, non tamen propterea existimandum est, tam infinitam stellarum copiam, speciali quadā natura & proprietate inter se non differre. Sumamus exemplum à natura plantarum. Quemadmodum enim quædam sunt salubres, quædam insalubres & venenatæ, & tamen à Deo omnes in suo genere creatæ bonæ, ita etiam ex stellis quædam sunt maleficæ, quædam beneficæ, tum ex se, tum etiam respectu diversorum effectuum, quos in diversis corporibus & subjectis excitant sublunaribus, nam di-

versa subjectorum corporum dispositio varias à cœlesti influxu recipit vicissitudines & mutationes, quod diligentioribus Astrologis non est ignotum.

Ex hactenus igitur illatis argumentis contra Astrologiam, eorundemque subjectis solutionibus probè pensitatis, cuivis, (modò œstro contra artem non sit percitus) ad alia etiam quęvis argumenta & objectiones respondere non erit difficile, inprimis, quæ contra Planetarum & signorum zodiaci naturam, aspectus, eorundemq; vires, conjunctiones, oppositiones, directiones, regressus, exaltationes, domicilia, ascensiones, descensiones, Planetarumque triplicitates & dignitates sine ullo rationis fulcro contra manifestam experientiam solent afferri. Quis enim non observat, Lunam pro diversa ad Solem positione, crescentemq; vel decrescentem, diversa operari, & pro diversa ad Solem radiaturâ ut figuram, ita & proprietates & qualitates immutare? non dicam jam de diversis ejusdem effectibus, quos transitu suo per 12. zodiaci signa singulis mensibus excitat, sensu & experientia manifesta. Si in Luna hoc verum est, ut certè est, etiam in reliquis Planetis idem fieri concedendum est, non quidem quoad lucis vicissitudinem, cui Luna sola subjecta est, sed pro diversa eorundem ad Solem vel Lunam irradiatione. Quin & ipsi augeri lumine, minuíve dicuntur, augeri cùm Sol ab iis, vel hi à Sole antea eos occultante, & sub radiis comburente, recedunt, minui verò, cùm radios Solis incurrunt, iisque teguntur, quo tempore combusti & debilitati dicuntur. Quid? quòd Planetæ, inprimis luminaria, alios atq; alios effectus habere deprehenduntur, prout aliam atq; aliam cœli domum, locumque occupant, idq; sensu & experientia tam evidente, ut, qui negarit, dignus sit, cui omnes sensus adimantur. Verùm de his & aliis, alibi à me prolixius tractatum est. Coronidis nunc loco, duæ adhuc objectiones, quas indiscussas

cussas relinqui non oportuit, sunt movendæ. [1] Quòd Astrologia judiciaria Canonibus cum Ecclesiasticis tum secularibus, Imperialibusq; sanctionibus, atq; etiam sacris & divinis decretis sit in totum prohibita, tanquam ars fallax & mendax, cujus præmium est anathematis fulmen & excommunicatio: propositio probatur ex C. tit. de maleficis & Mathematicis, ubi Imperatores inquiunt, l. 2. C. eodem, artem Geometriæ discere atque exercere publicè utile est: ars autem Mathematica damnabilis est & interdicta omninò? Sed respondendum est sic argutanti per concessionem, verum scilicet esse argumentum, si intelligatur de illis Mathematicis, qui illicitas divinationes pollicentur, & ineptias suas Mathematicorum liberali nomine adumbrantes iniquè & falsò defendunt: quorum præcipua intentio est, casus, eventus & accidentia hominum circa vitam & mortē magicis incantationibus manifestare, sic enim textum allegatum interpretandum esse præter Ulpianum & alios, vir de studio juris meritissimus Cujacius scripsit in Cod. tit. de malefic. & mathemat. Nam propter insignem abusum Magia cum Astrologia ita olim confundebatur, ut, quicquid diabolicum, nefandum, illicitum, damnandumq; ex decreto & ordine divino rectè judicabatur, titulum Mathematicorum sibi usurparet contra artis principia vera, id est, neq; Deo, neq; naturæ repugnantia. Verus Astrologus, nullis superstitionibus, sed veris & certis siderum influxibus in sublunaria evidenter agentibus nititur, causamque primò moventem Deum, non modò agnoscit, sed etiam piè & cordatè præsupponit, veritatis scopum in suis divinationibus assequi licito probatoq; modo studens, &c. Atq; hæc vera solutio est primæ objectionis.

[2.] Est autem tota occupata in zodiaci signis & Planetis: plausibilis admodum primo auditu, spectabilis primo obtutu, in verbis vera, sed sensu & intellectu depravatissima.

Qui ſine ratione aliquid comminiſcitur, idq; tanquam certum dijudicat, temeritatis meritò eſt arguendus.

Aſtrologi ſignorum, & Planetarum naturas comparant domiciliis cœli ſine ratione. Frgo. Propoſitio patet. Aſſumptio probatur. Nam Aſtrologi unanimiter in eo conſentiunt, aquarium eſſe Saturni carpentum & domicilium, quo in ſigno majoris perhibetur efficaciæ quàm in aliis, propter affinitatem & convenientiam. At verò aquarius cum natura Saturni non convenit, nam Saturnus eſt frigidus & ſiccus, aquarius calidus & humidus. Ergo ratione aquarii cum Saturno nulla eſt conformitas, ratione ſcilicet qualitatum ſigni aquarii & Saturni. Merum igitur & purum commentum eſt, quod Aſtrologi aſſerunt. Sic Jupiter, inquiunt, nihil commune habet cum piſcibus, qui Jovem agnoſcunt pro Domino. Nam ſignum piſcium eſt frigidum & humidum, Jupiter verò calidus & humidus: hic Jupiter concordat cum piſcibus in qualitate paſſiva, videlicet humiditate, ſed diſcordat in qualitate actuali, videlicet caliditate & frigiditate. Ergo vaniſſima ſunt Aſtrologorum decreta. Hoc argumentum, ut dixi, plauſibile eſt. Sed peritus & verus Aſtrologus diſtinguit inter ſigna ſtellata firmamenti, & inter ſigna primi mobilis, quæ dodecatemoria dicuntur, quorum præcisè quodlibet eſt 30. graduum, ſignum verò octavi orbis interdum plures, interdum pauciores gradus continet. Cumq; ex tardo firmamenti motu factum ſit, ut ſtellæ fixæ & octavi orbis ſimul omnes loco motæ ſint, & ſigna zodiaci octavi orbis, in ſuis amplius dodecatemoriis non exiſtant, ſed loco orientaliori, ſequitur magnam eſſe differentiam inter dodecatemorion & ſignum ſtellatum. Nam ſigna mutantur & loco moventur, dodecatemorion loco non dimovetur, ſed 12. zodiaci pars eſt fixa. Hæc ſunt fundamenta artis. Nunc ad rem concluſivè & breviter. Saturno frigido & ſicco tributum eſt ſignum

gnum aquarii calidum & humidum non ſtellatum (nam ſtellarum ſigni aquarii ſtellati ſat magna pars hodie conceſſit in dodecatemorion piſcium) ſed dodecatemorion verum, naturæ & qualitatibus Saturni conforme, ille ſcilicet locus zodiaci, in quo magis gaudere & dominari deprehenſus eſt, licet ſtellæ octavi orbis in id incidentes, ſeu eo incluſæ cum Saturno non usquequaq; omnes conveniant, id enim nulla ſeculorum ætate obſervatum eſt, quamvis non omnes etiam ab influentia ejus & natura diſſentiant. Sic piſces ſtellati in orbe 8. conſpicui ſtellisq; inſigniti non ſunt verum domicilium Jovis, ſed dodecatemorium piſcium naturæ Jovis reſpondens & conforme. Non enim hæc dignitas Planetæ, quæ carpentum & domicilium dicitur, æſtimanda & menſuranda eſt ex nomine ſeu appellatione & loco ſigni ſtellati, ſed certo ſpacio zodiaci primi mobilis, naturæ, influentiæ, & dignitati ipſius Planetæ non repugnante, quamvis non negârim, reductionem aliquam fieri poſſe ad ſigna ſtellata, ſed adhibito judicio firmato. Ac diligentiſſimè hîc obſervandum eſt, quęnam & quot ſtellę firmamenti, ſeu orbis ſtellati cadant in quodlibet dodecatemorion, nam ſine hac obſervatione omnes Aſtrologorum prædictiones cœcas eſſe & mancas apertè profiteor. Pertinent autem ad dodecatemorion arietis cornu præcedens, cepheus, Andromeda, piſcium alter cum lino, & cetus, excepta cauda & capite, hoc enim incidit in principium dodecatemorii tauri, illa in finem piſcium.

Ad taurum pertinent cornu arietis ſequens, Caſſiopœa, perſeus, excepto dextro crure, triangulum, arietis, ipſiusq; tauri pars poſterior.

Ad geminos totum ſidus aurigæ, caput tauri ſeu hyades, orion, lepus.

Ad Cancrum cauda urſi minoris, & majoris pars anterior, gemini toti, canis uterq; & Canopus.

Ad Leonem pars anterior urſi minoris, pars media urſi majoris, cancri præterea, leonis, hydræ, & Argonavis partes anteriores, & cauda draconis.

Ad virginem, cauda urſi majoris, leonis pars poſterior, crater, caput virginis cum coma Berenicæa.

Ad libram virgo ferè tota, corvus, arctophylax, centauri pars poſterior.

Ad ſcorpionem corona borealis, centauri pars anterior, chelæ ſeu lanx utraq;, caput ſerpentis, Herculis dextra, ſerpentis anteriora, lupus, centauri anteriora, & frons ſcorpii.


Ad ſagittarium Herculis ſiniſtra, ſerpentarius totus cum ſerpentis medio, ſcorpii media & poſteriora, & ara, item caput draconis.

Ad capricornum lyra, aquila, ſagitta, ſagittarius ferè totus, corona auſtralis, cauda ſerpentis, Antinous, & cornua Capricorni.

Ad aquarium capricornus ferè totus, aquarii ſiniſtra, delphinus, piſcis meridionalis, cygnus ſeu gallina.

Ad piſces, piſcis zodiaci præcedens, Pegaſus, urna & aqua fuſa aquarii. His igitur obſervatis, facilè eſt diſcrimen invenire inter ſignum ſtellatum, & dodecatemorion ſtellatum, ac plurimum intereſt ſcire, ad judicia Aſtrologica rectè conformanda, quæ ſtellæ firmamenti noſtra ætate ſingulis dodecatemoriis includantur, hoc enim noſſe, eſt rerum futurarum in hoc durante mundo fores aperire. Atq; hic ἀκροτελευτίου mei finis eſto.

SOLI DEO LAUS, HONOR,
ET POTESTAS.



Ioannis Guidonis Villariensis, Medici Parisini, De temporis, Aſtrorum, anniq́ue partium integra atque abſoluta animaduerſione, Libri duo.

Primus, Temporis inueſtigationem atque electionem, Item Aſtrorum in hæc inferiora uires, & influxum deſcribit.

Secundus, anni obſeruationes, pro uariis temporum diſtinctionibus, uariiſque Solis, ac Lunæ curſibus, habendas eſſe oſtendit.



Cum priuilegio.

PARISIIS,

Proſtant apud Iacobum Bogardum, ſub inſigni Diui Chriſtophori, è regione gymnaſij Cameracenſis.

1 5 4 3

EGREGIO, REIQVE POLITICAE
PERITISSIMO VIRO, DOMINO NICO-
lao à noua Villa, Regio fiſci ſecretario, ac Villæ Regiæ domino, perpetuam felicitatem optat
Ioannes Guido Medicus.



Vemadmodum quadratũ corpus perfectũ intelligitur, vir clariſſime, cuiuſmodi cubus eſt, ita quoque viros ciuili diſciplina, & morum integritate ſpectabiles, quadratos ceu perfectos appellare ſolemus. Vt enim Cubus, ſiue quadrátal, ſex habet ſuperficies quadratas, æquales: quarum quælibet quatuor lineis, ac totidem angulis terminatur, adeò vt cùm proiicitur quácunque in partem incubuerit, immotam, erectamq́ue habeat ſtabilitatem, quia portiones omnes æquales ſunt. Sic etiam vir vndique abſolutus, ac velut quadratus eodem ſemper ſe habet modo. Nam virtutes quibus delineatus eſt totus, tãtam æqualitatem, & ſymmetriam in illo exprimunt, vt in eo nihil vnquam varium, aut diſſimile poſſit reperiri. Et cùm fortunæ mutationibus obnoxia ſit humana natura, recta tamen atq; immota ſtat prudẽtis viri mẽs, nullis ſcilicet aduerſis rebus abiecta, nec proſperis elata: Sed vt quadrati numeri partes ſimiles ſunt, ita quoque viri boni actiones æquabiles, ac temperatæ ſunt: Virtutemq́ue (quæ ſola hominem nobilitat) ducem ſequũtur tanquam certam normam, aut Polycleti regulam. Quo nomine videor mihi non abſurdè perfecti viri præſtan-

tiam,perfectę mathematicorum figurę cõparare. Quod etiam fecisse constat scriptores longè doctissimos, quoties vellẽt ex rerum sensibilium similitudine nos ad res inanimatas,& intellectuales deducere. Nõ est enim cuiuis promptum perfecti viri excellẽtiam animo assequi, cùm prę sertim rerum omnium quę concauo cœli continẽtur,nihil melius, nihil amabilius,nihil admirabilius viro bono,ac perfecto inueniatur. De quo sanè Apuleij in libro de Deo Socratis,est sentẽtia. Nihil apud Deum rectius est quàm vir animo perfectus,& bonus,qui aliis antecellit. Talem autem si quærat vniuersa Gallia vel potius vniuersus orbis Christianus, alium non reperiet (meo certè iudicio)quẽ tibi iure præferat. In quo enim alio virtutes omnes(quæ ad bene, beatéque viuendum conducunt)clarius,ac plenius relucent? In quo pietas,religio? Fides aut charitas maior? Nam vt de hac sola loquar,affirmare ausim tãtam esse tuam erga Deum charitatem,vt malis omneis fortunas, omneis liberos, omneis honores, imò etiam vitam ipsam perdere quã Dei mandatis contrauenire. Huius rei testes sunt domestici tui,testes familiares,testis tota ciuitas Parisina: qui multiiugas animi tui dotes ita admirãtur,ita suspiciũt, ita cõmendãt,vt iam omnibus innotuerit nomen,ac fama celebris nunquã peritura domini à Villa Regia. Sed quẽadmodum erga Deum pietatem obseruas maximã, sic erga homines tua sese effundit liberalitas, & beneuolẽtia tanto studio,tãtaque cura,& officio in omneis, vt de singulis benemeritus dicaris. Primores enim vrbis con-

silio

ſilio rerum adminiſtrandarum iuuas, adeò vt magiſtratus politici tibi tantum tribuant, vt nihil probè ſeſe ſtatuere poſſe fateantur ſine tua ſentẽtia. Ego profectò ſæpe audiui multos, qui cùm domum tuam præterirent, eamq́ue contemplarentur ſtatim exclamare, O beati viri beatã domum. Sed quid dico domum, imò verò publicam boni conſilij, virtutúmque officinam. Qua laude, quæ maior eſſe poteſt? Accedit ac hanc charitatem, pauperum, & inopum amor incredibilis, in quos non aliter affectus es, atque in proprios liberos. Quoties certè audio tuam in pauperes liberalitatem celebrari, memoriæ meæ ſubit Thobiæ viri priſci charitas rari admodũ exẽpli, qui Babylonica captiuitate ſuos populares egenos, & afflictos cõſolabatur, ſubleuabatq́ue propriis facultatibus, mortuos ſepeliebat, magno etiã periculo vitæ. Quod idem priuatim facit tua humanitas erga priuatos, & verecundos pauperes, publicè autẽ erga captiuos in carcere, erga ægros in ampliſſimo Pariſiorũ noſocomeio. Taceo interim familias illas quas ex infimo loco tua benignitate ad opes, atque honores promouiſti. Hanc verò pietatem tuam verè Chriſtianam ſic imitatur ſapientiſſima vxor tua, ita ſollicita eſt de alendis, iuuandiſq́ue pauperculis viduis, orphanis, languidis, vt videamini vterque non minus ad commoditatem proximi nati, quàm ad propriam. Qua ex re ſummum humanitatis argumentum colligere licet. Nam vt eſt apud authorem illum celeberrimum, Deus eſt mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via eſt. Quam-

obrem nulli mirum eſt rem tuam familiarem quotidie accreſcere, vxorem generoſiſſimam pietatis opera exercere, & beneuolentiam tuā amore reciproco æquare, adeò vt vita veſtra nihil aliud eſſe videatur quā humanę vitæ ſpeculū. Seruos & ancillas modeſtos, ſynceris moribus ornatos, præceptis tuis ſalubribus morem gerere, officiáque ſua ſigillatim exequi, ſine murmure, ſine blaſphemia, quibuſcum ita verſaris, vt neque ſuperbos, neque inſolentes, neque abiectos eſſe ſinas. Liberos feliciter natos bonis artibus, ac virtutibus (quæ tutiſſimæ ſunt diuitiæ) imbui, & ad paternæ pietatis imitationem prouocari: Omneis deniq; egregias animi tui dotes ita venerari, vt te tanquam virtutis imaginem meritò colāt, & ament, idque nō tantum faciunt tui municipes Pariſini, verūetiam viri nobiles, principes, clariſſimę, ac nobiliſſimæ mulieres, atque adeò Rex ipſe Chriſtianiſſimus cum liberis ſuis digniſſimis. Quo factū eſt vt paſſim domus tua appelletur domus nobilitatis, domus munificentiæ, domus pudicitiæ, totiúſque vrbis ampliſſimum ornamentum. Cúmque ſis ingenio ſubtilis, eloquio clarus, voluntate rectus, conſilio grauis, atque conſtans, Rex idem magna, arduáque negocia prudentiæ tuæ committit. Eſt enim expertus abundè fidem tuam in rebus gerendis, conſilium, & ſapientiam in omni deliberatione, adeò vt apud magnanimum principem noſtrum pluris fiat tua vnius, quàm multorum aliorū ſententia. Cæterū vereor ne dum hæc refero, tibi ſim moleſtus, tuámque dignitatem offendere reformido. Nihil

eſt

eſt enim quod te minus delectet quàm virtutũ tuarum prędicatio, nihil tibi inuiſius vana, & inani gloria, quippe qui ſola benefactorum ſis conſcientia contentus. Vereor, inquam, ne moleſtiam tibi pariat etiam prolixior epiſtola. Nam cùm tempus (quo nihil tibi carius eſt) prudenter diſpenſes, idque totum vel amicorum negociis, vel reipublicæ impendas, non debeo committere vt te ab hoc ſancto opere interpellem. Tãtũ hoc à te vehemẽter oro, atq; obſecro, vt hoc quicquid eſt laboris noſtri de tẽporis cognitione, ac eiuſdem electione, Aſtrorumq́ue in hæc inferiora influxu, beneuola mente excipias. Quod etſi amplitudini tuæ par non eſt, exibit tamen in manus hominum gratius, & acceptius, quaſi ab ingenij tui excellentia approbatum. Itaque ſuſcipiat (quæſo) præſtantia tua hanc noſtram lucubratiũculam. Nam & dij ipſi haud eos aſpernantur, qui mola ſalſa litant, idq́ue eſt quod poeta cecinit hoc verſu,

Sæpe placent magno munera parua Ioui.

Hinc acceptiorem fuiſſe quadrantem vnius viduæ pauperculæ, quàm ingentes aliorum theſauros euangelica docet veritas. Interim Deus optimus, maximus, te conſeruet, ac ſoſpitet diutiſſimè.

Tēporis cognitionem MAGNOPERE NECESSARIAM.

Caput I.



ETERVM philoſophorum, eorumq́ue non vulgarium, ſententia eſt, Tempus omnium eſſe ſapiētiſſimum. Siquidem eius beneficio, omnia diſcũtur, nihil non reperitur quod quidem humana mẽs, humanus animus, cogitatione, intelligẽtiaq́ue aſſequi, memoria complecti poſſit. cuius etiam munere ſagaciores, ac prudentiores quotidie reddimur. Atque hinc Græcum illud oraculum ex Tripode prolatum γνῶθι καιρὸν, cognoſce tempus. Habet enim Iſocratis opinione, cũctis in negociis plurimum momenti, temporis, atque opportunitatis obſeruatio, cuius ſolius honeſtiſſima eſt auaritia, quo qui abutitur, is nimirum eſt inter pecora iure connumerandus. Vnde non immerito philoſophus, omnium longe eminentiſſimus Ariſtoteles perpetuò illud habuit in ore, tempore nullum eſſe ſumptũ pręcioſiorem, quòd ipſum ſolum ſimul ac tranſactum, nunquã recuperari poſſit. Atqui vulgo noſtro nihil haberi ſolet vilius, aut indignius. in quo tamen ſita eſt villicationis ratio, & ea quidem exacta quam euangelica prædicat hiſtoria. Ad ſumma itaque peruenturum puto neminem, qui non tempore (quo nihil eſſe fugacius conſtat) prudentiſſimè vtatur, qui non ſingulis horis ſingulisq́ue momentis id tandem adſequatur, quod ad futuram gloriam ſibi non parum adferat emolumenti. Nulla enim iactura tempore grauior, eſſe poteſt. Nam cùm duplex ſit (philoſophi teſtimonio) vita, quæ ad laudis gloriam pertingat: Altera intelligendi, philoſophandive. Altera verò in actione, atque adminiſtratiõe, In harum neutra dari poteſt vllus ocio locus. quapropter videmus magna ingenia nihil min⁹ ferre quàm ociũ naturæ cõtrarium. Quod Cicero lib. de finibus bonorum. 5. teſtari videtur, dum ait: Id maximè nobis inſitum à natura, vt agamus aliquid. Qua ex cauſſa Romulus ille primus Rom. rex credidit ingenui hominis officium eſſe, nequaquam ſinere otio, aut ignauia animum torpeſcere. Omnis quippe virtus in actione præcipuè verſatur, cuius fructus perpetuus eſt, non fugitiuus, æterna permanet merces, ſola hæc viget, indefeſſa eſt, immortalis, reliqua omnia vana fragilia, planeq́ue caduca. Nulla igitur vitæ noſtrę pars inani ocio conſumenda. Sed tantiſper dum tempore frui nobis licet, nefas eſſe putan

dum vel minimam eius particulam male collocare. Hinc Stoicorum sentẽtia, authore Hieronymo, Tẽpus esse dicitur correctio, & rerũ conseruatio. Omneque tempus, quo non virtutibus opera impenditur, perire credunt. Tempus autem ab Aristotele præfinitur esse numerus primi motus, secundum prius, & posterius. Quare mihi videntur suæ vitæ prudenter consulere, qui temporis discerniculo quid quaq; vitæ parte agant (inerti ocio planè relicto) accuratè obseruare, & sigillatim (dum fata sinunt) digerere consueuerunt. Vnde poëticum illud de viro bono, qui

Non prius in dulcem declinet lumina somnum,
Omnia quàm longi reputauerit acta diei.

Nec pœnitendum est illud Fausti Andrelini nostra ætatæ poetæ celebris distichon.

Nulla dies abeat quin linea ducta supersit,
Non decet ignauum præteriisse diem.

Temporis summam digestionem (quæ Astronomia est) cognitu utilißimam. Caput II.

VErùm quemadmodum humano generi (vel authore Platone) apprime vtile salutiferum, atque necessarium est tempus pernoscere, ita sanè plurimum & ornamenti, & emolumenti adferre quisque fatebitur eam artem, atque scientiam qua temporum summa digestio facilè tandem cognoscatur. Astronomiam intelligo, cæterarum artium longè certissimam, non quidem diuinatricem, & iudiciariam illã superstitiosam, atque fallacem, sed influentem potius, atque motricem, quæ solem, Lunamque, ac cœlum ipsum vestigat, motumque perquirit, cui optimo iure inter liberales artes primam sedem antiquissimi tribuerunt. Ea verò quantopere conducat mortalibus, facilè ex sequẽtibus intelligetur, si modò quod dicturi sumus, exactissimè perpensum fuerit. Vt enim agricolarum, ac medicorum ars omnis manca existimanda est, vita confusis scatens erroribus absq; temporis certo discrimine, ita etiam nemo illorum hac cognitione carere debet, quam ars ipsa veluti suo gremio complectitur, suisque alumnis subministrat.

Astrorum cognitionem Agricolis necessariam. Caput III.

ATque tandem vt rem aggrediamur, in agrorum cultu rebus mortalium vtilissimo, vitæque necessario, quicunque se volet absolutum profiteri (Autore Columella) eum rerum naturæ sagacissimum indagatorem esse oportet, declinationum mundi nõ ignarum, vt exploratum

habeat

habeat quid quæque ferat regio, quid cuique solo cõducat, quídve ferre recuset, quæ semina, quæ legumina conferant, quem cultum exigant, & quo sydere terram aratris facilè, ac commodè proscindere conueniat, quo tempore, quídve alternis annis rite serendum, quid pinguia reddat arua, quis denique colẽdi modus singulis debeatur arboribus. Quinetiam Syderum insignium, & apparentium stellarum, Arcturi, Vergiliarum (quæ Græcis Pleïades appellantur) Caniculæ, & Orionis ortus atque occasus memoria teneat oportet. Temporum occasiones, Solstitiorum mutationes, & eorundem seriem non ignoret, ne quid imbribus, procellis, vẽtísque impetuosis, ac tempestatibus intempestiuè aggrediatur, laboreque, atque expectatione sua inanissimè frustretur. Adhæc cœli temperiem, conditionem, statumq; & anni currentis mores, ac patrios omneis cultus, habitusque locorum sedulo perpendat necesse est. Quæ si quidem ignorentur, mancam propè esse ipsam humanæ vitæ conseruatricem Agriculturam profectò fatendum est. Debemus enim (inquit Columella) temporibus accõmodare opera ruris, vt permiserit status cœli. Etenim terra quæ nunquam recusat imperiũ, potissimum ex syderum bonitate fructus fert vberrimos, vt si quando vel imbres, vel serenitates, vel etiam hyemis, aut æstatis tempus opportune accidant, cuncta felicius, atque vberius prouenire videamus, etiã salsuginosis, salebrosis, ac ieiunis & parũ pinguibus agris. Vnde nõ abs re prouerbio iactatum est, Annum, non autem agrũ fructus producere. Tametsi nõ parum refert si consideres quæ sit regionum ratio: quandoquidem diuersas cuique solo inesse qualitates (vt sunt varij stellarum positus) omnibus naturæ consultis perspicuum est. Est enim aliud alio fertilius, aliud infertilius, quoddã solum semen iniectum intra viscera naturalius, ac commodius amplectitur, alimentumque inde reddit vberius, quoddam veluti alienum respuit, & vt spurium dedignatur, Vel docente poëta Mantuano. Nam

Hîc segetes, (ait) illic ueniunt felicius uuæ.
Arborei fætus alibi atque iniußa uirescunt
Gramina. Nonne uides croceos ut Thmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?

Quæ eadem planè sic confirmare videtur Ouidius.

Nec tellus eadem parit omnia, uitibus illa
Conuenit, hæc oleis, hîc bene farra uirent.

Etenim certissimum est, vel ipsa experientia Casiam, thus, cæteraque huiusmodi odorifera delitiarum genera non nisi in Arabia, & calidissimis regionibus feliciter prouenire. Vnde Plinius totius naturæ interpres Thura

 prȩter

præter Arabiam nullas regiones proferre dixit. Suus enim cuique terræ genius est, & vis quædam educatrix. Nam apud Indos (inquit Bedas) vbi est alia cœli facies, alij sunt ortus syderum adeo fauonij spiritu saluberrima, binas æstates in anno, binasque messes habere perhibent, media inter illos hyeme. Quo fit vt alia aliis locis abundent, & quibusdam meliora sint simplicia medicamenta, quorum ignorantia magnos medicis errores parit. Vnumquodque autem medicamentum eò præstantius est, quò magis proprium generis sui odorem, & saporē retinet. vt de Croco, Casia, Cinamomo, Styrace, & aliis pene innumeris videre est. Atque ob id quidem Galenus plantas Creticas cæteris præfert. Adde quòd Hermodactylus in locis natus humidis malus, similiter turbith, atque agaricus. Virtus igitur simplicium à regione, locóve proficiscens nō est negligēda. Quapropter plantæ humidiores locis humidioribus humidissimæ euadunt, siccioribus temperatiores, vti & animalia. Quod Hippocrates satis nos docuit, dum ait. Naturarum has quidem ad æstatem, illas verò ad hyemem bene, maléve se habere. Chamæpitys, & Chamędrys campestres generosiores, cum tamen alię plurimæ in campis genitæ sint imbecilliores, aliæ rursus in mōtibus, & locis editis probatiores. Prætereà quod ad plantas attinet, hoc etiam considerandum est, quasdam secundum extractionis tempus vim suam efficaciorem ostendere. Alyssos aduersus canis rabidi morsum efficacissima, lecta sub feruenti æstu Caniculæ. Cancri etiamnum fluuiatiles post canis ortum vsti quando Sol in Leonem transiit, nō nisi Luna decima octaua, aptè dantur. Atque (vt eò vnde digressi sumus sermo se cōferat) Nonnunquam inuenies annosos senes Agriculturæ studiosos, longo vsu, experientia rerum omnium magistra, & doctrinę Astrorum peritos, temporis euentus, (quamuis literarum rudes) aperire, miráq; de vbertate, aut penuria fructuum terræ quotidie præsagire, vt qualis annus futurus sit præuideant, prænoscant, ac iudicent.

Agriculturæ commendatio, atque utilitas.
Caput IIII.

QVis verò crediderit Romulum illum magnæ vrbis conditorem, tēporis, eiúsque occasionis fuisse imperitum? vt qui duo tantum studia excolenda suis tradiderit, nempe Agriculturam, & belli artes. hinc ab aratro ad summos magistratus obeundos reuocabantur ciues rerum rusticarum studiis semper incredibiliter delectati, quibus gestis ad ipsam Agriculturam Astronomiæ subalternam protinus redibant, eamque suis manibus vt omnium studiorum honestissimum exercebant,

cebant, atque excolebāt. Vnde cognomina plurima cum decore viri præſtantiſſimi reportarunt, à leguminis genere quod optimè ſererent. Hinc fabij, Piſones, Lentuli, Cicerones, aliíque non pauci. Prætereo ſciens vetuſtiſſimos Reges, principes, Imperatores, Senatores, Conſules, Prætores, Magiſtratúſque alios, quibus certiſſimum eſt imprimis placuiſſe Agriculturam, propriáſq; curaſſe opes, quæ tunc erant oues, boues, iumenta, agrorum iugera, & fruges. Adde quòd Cyrus Perſarum rex (ſi Xenophonti & Ciceroni credimus) mirificè eſt terræ cultu delectatus, vt ſatis conſtet à Lacedęmonio hoſpite eum tandem mortalium feliciſſimum ob hoc iudicatum fuiſſe, quòd præter regnum quod illi fuit ampliſſimum, terram elegantiſſimè coleret. Quinetiam ſaluator noſter Agriculturam laudans hac comparatione vſus eſt dum dixit. Pater meus eſt Agricola. Ego vitis vera, ego paſtor bonus: Huc accedit quòd Noe, Abraham, Loth, Moſes, Dauid, cæteriq; laudati proceres plurimam pabulis, & Agriculturæ operam impenderunt, quod nunquam ab eis factum fuiſſe exiſtimandum eſt ſi quid ipſis dedecoris vt aliis multis adiectum vidiſſent. Liquidò etiam cõſtat Agriculturam tantæ exiſtimationi apud vetuſtiſſimos illos rerum dominos olim fuiſſe, vt cum virum bonum maximè commēdarent, eum bonum Agricolam, bonumque colonum vocitarent. Apud quos etiam ipſa vita ruſtica non contemnenda ad id honoris tandem euecta eſt, vt ruſtici cõmunis vtilitatis miniſtri vrbanis longè præponerentur, tum quòd diuina natura dederit agros, ars verò humana ædificarit vrbes, tum quòd qui vrbes habitāt, iis qui rura colunt deſidioſiores eſſe ſoleant. Hinc aſſidua in vrbem profectio (inquit Conſtantinus Cæſar) ſegniorem facit Agricolam, & quòd ex iſtis quàm ex illis fortiores, robuſtiores, ac valentiores gignantur milites, miniméque (inquit Cato) male cogitantes, & quòd ſine Agricultoribus nec conſiſtere mortales, nec ali poſſe abundè conſtet. Denique quòd dominus Deus Agricolas, pecoriſque magiſtros inſtituerit, Eccleſiaſtici. 7. Nõ oderis laborioſa opera & ruſticationem creatā ab altiſſimo. Hæc enim citra ſegnitiē, aut mollitiē corpora robuſtiora reddit, dū cultores multa patiētia, algore, æſtu, vel nudi operi quotidie inſtant. Quo fit, vt corpora hac exercitatione vegetiora, valētiora, ſaniora, firmioráq; reddātur, viréſq; animi augeātur. Quocirca Aeſculapius ille medicinarū Deus in agro ſibi ſedē delegiſſe fertur. Itaq; Terra (vt poſt Heſiodū Marc⁹ Cato imprimis, & Cicero teſtes ſunt) nunquam ſine vſura reddit quod accepit. Sed plerumque maiore cum fœnore, ſi quidem ager diligentius fuerit excultus: interdum verò minore fœnore, ſi quando fuerit à colonis neglectus, quorum

incuria satis à Salomone repræhenditur Prouerbiorum. 24.cap. dum ait. Per agrum hominis pigri transiui,& per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ. Plinius item lib. 18.cap.5.Agro deserto nihil damnosius. Vnde antiquis hoc in more positum fuerat,vt si quis agrum,arborem,aut vineam incultam sordescere sineret,paulóque neglig***ẽ***tius excoleret,in eum grauiter animaduerteretur. Sed agrum multò præstantiorem facit (inquit Constantinus Cæsar) assidua domini præsentia. omnes enim ad operarum sedulitatem impellit, & de deficientibus submonens,ea impleri facit,& alios in opere alacres collaudãdo, alios segnes obiurgando,ad vnum scopum diligentiæ,& sedulitatis omnes respicere cogit. Hinc rectè Lybicus quidã interrogatus, quod sterquiliniũ agro foret optimum,ac vtilissimum:Domini vestigia,respondit. Prætereà, nónne à villicis,ac rusticis vina,frumenta,ligna,& cætera id genus alimenta vitæ nostræ vtilissima in vrbem quotidie deportantur? sine quibus esse ciuitas non potest,nedũ bene esse.Pernecessaria est igitur ipsa Agricultura, vt cuius fructibus (inquit Socrates in Xenophontis œconomico) partim viuamus,partim deorum Aras extruamus, floribus quoque ob coronamẽtorum, odorumq́ue delectationem incredibilem iucunditatem, percipiamus.Habet prætereà Agricultura(vt idem Socrates inquit)& diligentiam quandam & animi voluptatem.Insuper & domus augmẽtum, exercitationémque corporis quantum homini libero satis est. Et re vera (vt syncere scribit Celsus lib.1.) Quẽadmodũ ægris medicina præstat remedia, sic sanis corporibus alimẽta suppeditat Agricultura.Huc spectat illud Vitruuij. Quẽadmodum natus infans sine nutricis lacte non potest ali,neque ad vitæ crescentis gradus perduci, Sic ciuitas sine agris,& eorum fructibus in mœnibus affluentibus non potest crescere,nec sine abundãtia cibi frequẽtiam habere,Populumq́ue sine copia tueri.Hinc Nabathæis egregium, ac memorabile hoc institutum fuit,vt qui rem familiarem auxissent, publicis honoribus:qui absumpsissent,ac prodegissent, publica pœna, atq; infamia afficerentur.Nec abs re quidem. Nam vt medicinæ finis est sanitas,ita diuitias(si Peripateticis credimus)finem esse rei familiaris cõstat. in qua vir parat foris,vxor parta domi conseruat.Sunt verò ob hoc potissimum vtiles diuitiæ, quòd & ornamentum adferunt possidentibus, & ad virtutem exercendam facultates suppeditant. Prosunt etiam natis, quibus facilius ad honores,dignitatésque euehuntur. Nam quorum virtutibus obstat res angusta domi,eos haud ita facilè sursum attolli videmus. Vnde (quemadmodũ scite scribit Aristoteles) Fieri vix potest vt quis res præclaras agat

cui

cui facultates desunt, ac diuitiæ. Quare bonis, ac honestis artibus sine fraude rem parare, & partam tueri, atque augere, honestũ semper fuit ac laudabile. Sicut turpe, ac ignominiosum (quod & Cicero scribit) per luxum, ac vitæ intemperantiam, aut socordiam rem familiarem perire, ac labi sinere. Nam circa diuitias prudentia quadrupliciter se habet, cum aut eas adipiscitur, aut tuetur, aut adauget, aut eisdem prudenter vtitur. Cum ergo duplex sit hominum vita, rustica, & vrbana, harum antiquior, melior, iustior, tutior, vtilior, viuacior, ac multò salubrior cẽsetur rustica in aëre libero, & salubri degens, quæ sanè ad duos scopos maximè dirigitur, & ad vtilitatem & ad voluptatem. Vtilitas fructum, voluptas delectationem cum salubritate quærit. Huc Ciceronis sententia spectare videtur, dum ait. Omnium autem rerũ quibus aliquid acquiritur, nihil Agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Quod quidẽ planè nouerũt quãplurimi ex generosis huiusce Luteciæ ciuibus, quibus tantopere placet agrorum colendorum ratio, vt non solum oblectationis, sed etiam vtilitatis gratia suos fæcundissimos agros sæpissimè inuisant, veterum Romanorum more diligenter excolãt, vt nihil eorum opera desit ad summum vrbis nobilissimæ, amplissimæ, populosissimæ ornamentum. Atque hinc Horatius poëta eximius, rure viuentem beatum autumat.

Beatus ille qui procul negociis,
(Vt prisca gens mortalium)
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.

Et Vergilius ille antiquitatis consultissimus.

O fortunatos (inquit) nimium, sua si bona norint
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum iustißima tellus.

Quibus rationibus vndecunque deductis, facilè colligi potest Agriculturã mortales alere, atque educare, ob idque humano generi pernecessariam esse. Ea verò quum ab Astrorum cognitione tota pendeat, cõsequio quodam relinquitur, ipsam Astronomiã Agricolis cognitu etiam esse necessariam. Quod si est ita (quemadmodum est re vera) quis neget Astrorum cognitionem omnium esse longè nobilissimam, atque vtilissimam?

Medicis quantum conducat Astronomiæ cognitio. Caput V.

De agri-

DE Agricolis ſatis eſt dictum, Nunc (quemadmodum ſuperiori ſermone inſtitutum fuerat) oſtendamus medicis, quantum proſit, quã que ſit neceſſarium Aſtra cognoſcere, vt poſt vitæ conſeruationem quæ ab alimentis pendet, etiam ſanitatis fines breuiſſimè percurramus. Nam quod ad medicæ artis non temere exercẽdæ (quæ eſt ad ſalutem corporum commodiſſima) profeſſores attinet, quæ quidem mercedẽ abundè magnam addit ſui ſtudioſis, nempe corporis ſalubritatem, ac proſperam valetudinem, quod vnum tanquam ſummum bonum nemo eſt qui non maximè deſyderet: Quis (Deus optime) adeò inſcitiæ caligine circunfuſus, aut mentis cæcitate captus, aut ſenſu communi carens inter mortales ire inficias temere audeat Cœlum, & Aſtra in hæc inferiora & agere, & inſtanter profluere? Virtutes ſuas infundere, vegetationem, vitam, rorem atque pluuiam ſalubrem rebus mũdanis ſpargere? Hos planè omnium rectè philoſophantium placitis contrauenire ſanę mẽtis ambigit nemo, quibus perſuaſiſſimum eſt omnia inferiora moueri à ſuperioribus, primordiáque rerum omnium è cœlo eſſe decidua. Quod peramplè teſtatur Ariſtoteles ille naturalium cauſſarum diligentiſſimus indagator Meteororum primò, hũc in modum ſcribens. Eſt autem mundus hic inferior ex neceſſitate ſuperioribus latiõibus attiguus, vt omnis ipſius virtus ſempiterno quodam ordine tãquam ſummi Dei inſtrumentis gubernetur. Huic ſentẽtiæ applaudit Ptolemæus in centiloquio verbo. 9. dum ait. Vultus terreſtres vultibus cœleſtibus ſubiiciuntur. Itaque generationis, & corruptionis noſtræ primordia ab aſtris tanquam à potiore natura proficiſcuntur, res quoque omneis Lunari globo ſubiectas eſſe, eorundem motu, lumine & influxu, potiſſimum Solis in obliquo circulo moderari, ac gubernari ſolertiſſimi ipſius naturæ interpretes atteſtantur. Is eſt igitur diuinæ prouidentiæ ordo, vt per ſuperiora regantur inferiora.

Lunæ uis in corpora inferiora. Cap. VI.

ID verò quò facilius ad oculum oſtendamus: Primùm de lunæ in corpora inferiora defluxu, ac moderatione dicamus. Quis enim non miretur globum lunæ tantam aquæ maris molem ad ſe trahere, ac velociſſimè rapere, vt ne eius quidem portionem milleſimam (mirabile dictu) cuncta terræ, mariſque non traherent animalia? Cuius vis in omnia penetrat. Cuius inquam varia affectio, & diſpoſitio, huius mundi inferioris corpora inſigniter afficit, & repente demutat, terras ſaturat, accedenſque corpora humore, animantiumque oſſa medullis implet. Abſcedenſque eadem inanit. Ideo cum incremento eius, augeri conchyliorum, concharum, cancro

rum,

rum, ostrearumque corpora,ad statum perueniunt cùm Luna luminibus plena est,& rursus cum illa paulatim minui,vacuari,atque arescere manifestè percipimus: adeò vt interlunio sine medullis animantiũ ossa spectentur. Cerebrum itaque & sanguinem hominum etiam cũ eius lumine augeri,ac minui,frondes quoq;,ac pabula,illius vires,ac potestates sentire. Nam vt & obiter illud dicam, Veteribus cœnare noctu semper consuetum fuisse testatur Atheneus, ob Lunam quæ vim habet ad concoctionem præcipuam. Finitima enim cùm sit terris,per illam cœlo nobiscum societas est,syderúmq; quibus iuncta sit vires, ac potestates excipiẽs,& mutuata has demum(tanquam vehiculum quoddam sit cœlestium virium)suo lumine,motúque ad nos trãsfundit, animantiũ quę corpora potenter ferit,alterat,immutat. Quapropter vt corporum sic & morborum quatenus illis inciderint,ea qua ad sydera fuerit constitutione rectrix est,& significatrix. Hinc à Lunæ bona,maláve constitutione morborum præsagia desumi par est. Si quidem purgãdum erit, aut sanguis mittendus(quæ prima sunt, & præcipua vacuationum genera,quibus morbi plerique omnes egẽt)sit Luna in beneuolorum planetarum societate. hoc enim medicamenti opus auget & felicitat, corporísque vires iuuat ad salutem parandam,morbúmque profligandum. Ex his Galenus medicinæ antesignanus lib. de dieb⁹ decretoriis. 3. pręter alia multa hunc in modum scripsit. Id vnum obseruãtes verissimum esse comperimus Aegyptiis Astronomis inuentum, Lunam non modò ægris,sed etiam sanis, dies quales tandem futuri sint posse prænunciare. Si etenim ad Planetas temperatos steterit,salutares,faustos,ac bonos producet,sin ad intemperatos,graues,molestósque. Galeni item testimonio,humana corpora haud secus in terris habent,quàm Luna in cœlis. Ad idem Iulius Firmicus. Omnis substãtia humani corporis ad Lunæ pertinet numinis potestatem. Itaque perpetuæ atque manifestæ reuolutiones in corporibus nostris perficiũtur. Non paucos etiam furiis hinc sæpe videmus vexari Epilepticos circa quadras Lunæ, qui eam ob causam Lunatici dicuntur, quoniam eum qui interlunio natus est,morbum hũc ferè pati compertum est. Nec possunt mulieres ignorare,imò neque effugere Lunæ effectus in mẽsium fluxibus. Scribit item Plutarchus ipsas mulieres partu in plenilunio facilius leuari,ac liberari. Lucianus item(si referre licet)in libello de Astrologia Lycurgum ait Lacedęmoniis legem tulisse,in plenilunio ne prælium inirent. Prædictis adde(si lubet)ligna ad ædificationem cæsa, desinente,& sub terra exi-

ſtente Luna menſe Decembri, aut Ianuario, diutius à putredine incolumia permanere.

Vis Solis in corpora inferiora.

Caput VII.

AC de luna quidem ſatis dictum eſſe videtur. De Solis dominio nonnihil etiã eſt addendũ, vt qui in generationibus, & conſeruationibus rerum potiſſimum valeat, efficaciúſque multò quàm cauſſæ particulares. Vnde illud Albumazacis, Non eſſe vitam viuentibus poſt Deum, niſi per Solẽ & Lunã. De Sole autẽ ſcribit Ariſtoteles. 2. de generatione & corruptione ad hunc modum. Accedente Sole propius ad nos, ad punctúmque verticale, omnia oriri, germinare, & pubeſcere videmus, abſcedente verò tabeſcere, atq; marceſcere. Eſt enim tempus generationis æquale tẽpori corruptionis. Quis igitur eſt tam hebete viſu, vt non videat Sole diſcedente naturam mœrere, aues conticeſcere, plantas exareſcere, frondes defluere, tabeſcere, marceſcere, putreſcere, natiuumque calorem (qui naturæ eſt amicus) imbecilliorem fieri, virtutes debilitari. Rurſus, ipſo Sole (qui innati caloris, & ſpiritus obtinet imperium) reuertente, mundum exultare, terram lætari, plantas reuiuiſcere, iuueneſcere, ſurculos, & nouellas proferre, & ſe reparare videntur. Denique omnia inſtaurari, oriri, repullulare, aptiſſimas, congruáſque rerum generationes fieri, innatúmque calorem adaugeri, ac demum virtutes mẽbrorũ coctrices inualeſcere. Ex cuius curſu in ſignifero (vt planè conſtat) annus integer procedit, eiuſque tempora diſtinguntur. Diuerſaque eorumdem temperamenta prodeunt, variiq; humores in corpore progignuntur, qui in nobis à centro ad circunferentiam, & econtrario plerumque mutari, ac commoueri liquidò conſtat. Ab hac opinione non longe abeſt Auguſtini viri ſanctiſſimi lib. 10 de ciuitate Dei ſentẽtia, dum ait. Non vſque quaque abſurdè dici poteſt ad ſolas corporum differentias afflatus quoſdam valere ſydereos, ſicut ſolaribus acceſſibus, & deceſſibus videmus anni tempora variari, & Lunaribus incrementis, atque decremenris augeri & minui quædã genera rerum, ſicut conchas, & mirabiles æſtus oceani, non autem animi voluntates poſitiõibus ſyderum ſubſidi. Vnde Gregorius, Liberum enim oportet eſſe quod eſt in nobis. Ex his Ptolemæus in centiloquio inquit. Cœleſtia corpora quandam inclinationem præſtãt corporibus humanis, neceſſitatem prorſus nullam. quandoquidem, vir ſapiens dominatur Aſtris. Quod etiam ſentit Vergilius lib. 2. Georgicorum.

ſ ex ſo- olutione t.

Felix

Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas.
Atque metus omneis, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus.

Sanorum atque ægrorum corpora ab aeris constitutione immutari.
Cap. VIII.

HAec verò quum ita sint, Lunaque atque adeò Sol ipse corpora nostra immutent, quid nunc amplius admiramur varia morborum genera clanculum in nobis suboriri? Aetius. Sanorum corpora, & multò magis ęgrotorum ab aëris constitutione immutãtur. Ex quatuor autem anni partibus (autore Celso) Ver est saluberrimum, ac minimè morbis, qui mortem afferãt obnoxium. Proxima deinde ab hoc hyems, periculosior ęstas, Autumnus longe periculosissimus. Hyemis enim certum est frigus, Aestatis certus est calor. Veris tẽperata est constitutio: Autumni verò temporibus modò frigus, modò calor nos adfligit. Quo fit, vt autumnus plurimos opprimat: Huius rei testis est Hippocrates medendi arte nunquam satis laudatus, aphorismorum. 3. sectione. Per autumnum (inquit) acitutissimi, atq; exitiosissimi accidũt magna ex parte morbi. In eandem it sentẽtiã Ouidius de autumno inæquali morborum agmina procreante loquens.

Quum modò frigoribus premimur, modò soluimur æstu, Ouid. se[...]
Aere non certo corpora langor habet. de arte [...]

Est igitur aër omnium maximè à medico considerandus, eo sanè calor natiuus ad sui conseruationem potissimum eget. Isque est Galeni testimonio sine quo nec tolli morbus, nec sanitas seruari potest: Proinde elaborandum maximè, vt is corpori nostro commode adhibeatur. Nam is assiduè corpus nostrum ambit, nec vlla eius euitandi ratio est. quandoquidem inuitis etiam nobis est hauriendus. Nec illo (vt reliquis rebus quas non naturales vocãt) ad tempus abstinere licet. Cibo quidem & potui per interualla inducias damus. Inuentique sunt qui ab his per multos dies abstinerẽt. Aere autẽ ad vitã nostram nullo tempore carere possumus. Nã si viuendum, certè respirandũ est, Aerque respiratiõis & vtriusq; partis eius, inspiratiõis, & expirationis materia. Qui qualis inspiretur, qualisve corporib⁹ nostris admoueatur, pur⁹ ne, & omnis malæ qualitatis expers, an putris, aut corruptus nõ parui refert. Sit autem

omnino purus, qui omnium optimus, ac ſaluberrimus exiſtit, nulli non ætati vtilis, ſicuti ediuerſo, craſſus, ac nebuloſus vitioſus eſt, ac morbifer, omnique ætati noxius. Neque enim parum prodeſt in lõgis prę ſertim morbis aëris interdum mutatio. Id quod Hippocrates cõſulit ita ſcribens. In diuturnis morbis terram mutare confert.

Rerum omnium mutationes ex Solis, cœliq; motu.

Caput IX.

EX Solis, cœlique motu ac lumine plantæ, & animalia (quorum facultates medicum naturæ imitatorem neſcire eſt indecorum) & quæcunque mundus hic genuit, alitque corpora à ſublimi illa ſyderum hierarchia mutationes ſubeunt, ſtatum habent, & ſuæ durationis rationem, vt adoleſcant, vt iuuenta cõſtent, & ſenecta tabeſcant. Hinc animalibus omnibus, atque adeò plantis ipſis corruptelæ, ac interitus eſt connata neceſſitas, immodicæ videlicet ſiccitatis à ſuo calore natiuo humidum ſubſtantificum aſſiduè depaſcente. Et ita rerum à natura (quam omnis ars imitatur) definitus eſt exitus, definitáque periodus. Primum quippè plantas generari, hinc in ſtipitem, folia, flores, ac fructus creſcendo diduci, moreque ſuo vigere, ac ſtare, tandem verò alterari, deficere, elangueſcere, emoríve percipimus. Quod ſanè omniũ animatorum natura communiſſimum eſt: Alioqui & ſeminis, & meſſis, & conceptus, & partus, & id genus ſimilium eiuſdem temporis inſtaret occaſio. Et ſi rem ipſam ad corporis humani (quod licet) habitudinem referamus, An eiuſdem aëris imtemperies à ſingulis vbique locorum ſemper inſpiranda venit? An ſemper laborandum, exercitandum, quieſcendúmve? An cibi, potúſve quanticunque aut qualeſcunque ſint tum euchymi, tum cacochymi vbique locorum, tum frigidorum, tum calidorum, ab impuberibus, aduleſcentulis, florentibus ætate, ſenibus, decrepitis, ſanis, neutris, ægrotíſque interdiu ſemper, & noctu nulla cõſtitutionis, conſuetudinis, aut caloris innati ratione præhabita ingerẽdi ſint, an ſemper medicamento, aut alterandi, aut ſoluendi ſunt humores? An venæ ſemper incidendæ? An Cucurbitulæ nullo non die admouendæ? An membra aſſiduè extenuanda, an corporis excrementa, tum fęculenta, tum liquidiora, tum mucoſa, tum flatuoſa ſemper continẽda, aut aſſiduo ſeceſſu excernenda ſunt? An horis quibuſuis ſine diſcrimine ſopno indulgendum? aut inſomnia, peruigilióque atterendum? An ſemper triſtandum, vel gaudendum, vel concumbendum, aut perpetuæ pudicitiæ ſeruiendum, & eiuſce generis alia ex animi affectu agenda

ſun

ſunt?Hæc dubio procul minimè eſſe agẽda abſque temporum anni,locorum,regionum,ætatum,ſexus,perſonarum ratione pro comperto habemus.Maturo igitur cõſilio,& ſagaci agendorum electione opus eſt. Sed perpẽde(quæſo)quod refert Cõſtantinus Cæſar ex paxamo.Omne vinum(inquit)vt plurimum aceſcit,& in vappam tranſit circa Pleiadum occaſum, et circa ſolſtitium Hybernum , aut eﬄoreſcente iam vite.Et circa ſolſtitium æſtiuum,& ſub Caniculæ æſtum.Et in ſumma circa omnes acceſſiones & frigoris, & caloris,aut largorum imbrium. idem contingit & propter violentos ventos , aut vehemens tonitru, aut etiam iuxta tempus quo roſæ florent,aut à fulgure violento.At ferrum (inquit Zoroaſtres)operculis doliorum impoſitũ,noxam à fulgure,& tonitru detrahit.Quidam Lauri ramos imponunt per naturalem contrarietatem auxiliaturos.Quid plura ? Nónne & ortus pernicioſæ Caniculę(quę in ore leonis eſt)maximam habet virtutem in tranſmutando aërem ad vehementem æſtum? Nam tunc (Plinio adſtipulante) Solis vapores accenduntur,feruent maria, fluctuant in cellis vina,mouentur ſtagna.Sentiunt & ſyderis huius effectum canes quidem , quos toto eo ſpatio maximè in rabiem agi non eſt dubium.Propterea peſtifera eſt imprimis homini Canicula,quandiu ſol eſt in ipſa . Hinc dies Caniculares multis morbis obnoxij.Nam tunc geminatur calor:& humana corpora langoribus,morbis flagrantibus,tertianíſve exquiſitis à flaua bile pendentibus,vt plurimum afficiuntur.Vnde tunc temporis (præſertim in Canis vtriuſque exortu, & paulò antè) Diuus Hippocrates ille Archiatros conſulit medicamenta non eſſe exhibenda , ne videlicet ex æſtu ambiente,ac medicamento purgante humorum inflãmatio,febres ardentes,exercitationes,dyſenteriæ,ſpirituum diſſolutio, caloris innati exhalatio, viriumq; totius corporis imbecillitas ac proſtratio inducantur,ſubſequantur.

Electionem temporis ſecundum aſtra oportere habere, ob facultates corporis dignoſcendas Caput X.

CVm verò vnicuique diſſimilari particulæ inſitę ſint quatuor virtutes naturales,videlicet attractrix,retentrix,concoctrix,& expultrix,vt variis in locis apud Galenum,& maximè in libris de potentiis naturalibus legitur:Nec ſemper eaſdem facultates ęquè validas, nec æquè ſuis fungẽtes officiis experiamur, ſed aliam moderatam quandoque,aliã langueſcẽtem ac hebetem,aliã exuperantem probemus.Ob hoc igitur tẽporis electione opus eſt,quo virtus coctrix cenſetur vali-

 dior

dior,si instaurandæ veniant particulæ:vel quo attractrix efficacior existit,si eædem particulæ exinanitæ:vel quo retentrix robustior euadit, dum fluidiores quàm par sit redduntur corporis ventriculi. Vel quo expultrix promptior existit,excrementorum exoluendorum gratia. Coctrix autem virtus censetur validior, quum aëris intemperies frigida existit. Nam ex Hippocrate, Ventres hyeme calidissimi sunt. Attractrix efficacior redditur,quum aër incalescit. Retentrix,dum aëris intemperatura frigida,siccaque percipitur. Expultrix verò facultas suo probè fungitur munere,quũ aër immoderatè humescit, eodem simul incalescente,frigescentéve nihil,aut parum differt. Quòd autem non semper frigescat aër,nec semper incalescat,aut siccetur,nec semper pluat,ningat,roret,aut aliter humectetur,omnibus constat. Vicissitudinariæ igitur aëris affectiones videbuntur facultates eiusmodi multifariam excitantes,vndecunque tamen ciẽtur extrinsecus, siue ab aëris affectibus vicissitudinariis,siue à varia victus ratione,siue à diuersis animi affectibus,earum tamen singulis calore natiuo excitante opus est,vt qui omnium corporis facultatum motor sit præcipuus. quippe qui alimenta coquit,& humores coctu habiles reddit,partique nutriendæ assimilat. At semina,& stirpes terram ingressæ (ut author est Hippocrates, teste Galeno.2.de elementis) sibi quæque idoneum, ac naturale exugunt, vel acre,vel dulce,vel amarum,vel salsum, vel diuersum. Primum igitur & plurimum eius quod ipsis maxime secundum naturam sit arripiunt,pòst alia quoque trahunt. Talem modum medicamenta simul in corpore seruant.

Purgationes,secundum temporum, ac morborum mutationem,uariandæ. *Caput* XI.

PRoinde,quum mutationes temporum (inquit Hippocrates ille veritatis amator) potissimum committant morbos, & in quibusdam temporibus magnæ mutationes aut caloris,aut frigoris appareant:atque ex anni constitutionibus(quod in totum dixerim) siccitates sint imbribus salubriores,& minus mortiferæ,ob id etiam purgationes pro temporibus anni variandæ. Itaque tempus accommodatissimum ad purgationes,& venæ sectiones, ver esse solet. Quod etiam præcipit idem venerandus ille senex,dum ait. Quibuscunque venæ sectio,vel purgatio cum medicamento conuenit,hos vere purgare,vel venam incidere oportet. Hoc enim tempus vt est æquale,ita nec nimis calidum,nec nimis frigidum est. Ob id veris initio pituitam,siue bilẽ flauam,

uam,

uam,& autũno atrã,ad vitandos vernos,æstiuos, Autũnales, & Hybernos morbos purgare,& venam secare cõsueuit Galenus, nõ æstate, nec hyeme.Nã æstate corpora calidiora,& ficciora,& ab aëre ambiẽte dissoluta,medicamẽtis purgãtibus,& sanguinis vacuatione plurimũ lędũtur,ꝙ illa calfacit,siccat,infirmat,ac dissoluit.Hęc inanitiõe viriũ substãtiam dissipat.Hyeme verò excremẽta cõcreta ad motũ pigra medicamẽto trahẽti dũ non parẽt,lucta in corpore torminosa fit, & molestissima, cui etiã Leipothymia sępe succedit. Phlebotome verò aere frigido dũ calorẽ natiuũ multũ vacuat,& eius pabulũ subtrahit,extinguẽdi reliqui caloris periculũ affert ab ambiẽte frigido.Eã ob rẽ etiã æstate medicamẽtis purgãtibus raro vtimur, pręsertim(vt dictũ est)sub cane, & ante canẽ,vel similẽ aeris statũ:Aestate autẽ(si opus fuerit)per superiora magis si facilè vomãt,purgãdi:hyeme per inferiora purgatiões potius deligẽdæ,quia eò natura vergit,& locus est cõferẽs.Finis autẽ vsus medicamentorũ est,vt affectũ è corpore præter naturam profligẽt,siue morbus sit,siue caussa morbi,siue symptωma,siue duo ex his,siue omnia simul,siue morbus omnino factus est,siue nõdũ gigni cęptus,sed in procinctu vt fieri incipiat,siue partim genitus,partim adhuc in gignẽdo,& partim generãdus,siue is affectus sit intẽperies aliqua,aut incõmoderatio,aut solutio cõtinui.Pręterea medicamẽtorũ vsus vt cęterarũ caussarũ salubriũ idoneus,est in ipsorũ quãtitate,& qualitate idonea,& tẽpore apto.Occasio enim tẽporis præceps.Qui autẽ medicamẽti vim ignorat,qua operãdo iuuat,eo rectè vti nõ potest.Hinc Alexãder magnus rectè videtur sẽsisse,qui inexperta remedia haud iniuria habuit suspecta. Galenus itẽ(vt ipse testatur lib.de morbis curãdis.5) nihil medicaminum exhibuit vlli,quod ipse non antea in seipso fuisset expertus. Sunt itaq;,inquit Damascenus, quędã medicamẽta partibus quibusdam amica,alia iisdẽ inimica,alia his atq; illis affectibus idonea.Hinc nulli medico ne studioso quidẽ credẽdũ est,nisi & ætate probato.Nulli etiã(inquit Gal.)quãtumuis summo plus credendũ est,quã quãtum rationi,& experiẽtię est cõsonũ.Quãdoquidẽ(eiusdẽ testimõio) duo sunt instrumenta per quę remedia inueniuntur, ratio,& experiẽtia. Literis enim tãtũ diuinis absq; ratione credẽdũ.Propterea plurimũ refert in arte medica ꝑpetuo versari,exerceriq;,omniũ tamẽ efficacissimũ est facta atq; euẽta firmiter(qđ Gal. sępe pręd ixit)meminisse.Cęterũ inspicere oportet(iuxta Hippo.sententiam)& regionem,& tẽpus,& ętatẽ,& morbos in quib⁹ cõueniat,aut nõ:pręter hęc,& vires ęgrotãtis(vt ĩ oĩb⁹ ferme

Naturã [i]mitari [o]portet.

euacuationibus) sunt considerandæ, donec enim tolerat, & nondum laborat, tentandum est humorem exuperantem educere. Proinde immodicæ purgationes fugiende sunt. Nam præter hoc quòd vires deiiciunt, etiam mirum in modum ventriculo obsunt. Vnde Galenus. 7. methodi medendi inquit, robustis corporibus valentiora medicamenta, imbecillis mitiora sunt adhibenda. Hinc curandum vt nunquam plusquam pro virtutis ratione conueniat extrahatur. Cum igitur medicamenta omnia præsertim purgantia, ventriculum præcipue neruosam eius partem, & maximè sensilem lædant, his odorifera sunt miscenda, quæ noxam eorum obtundant, actionem verò non impediant, quæ prætereà tenuent, crassos succos incidant, tergeant, vias aperiant, per quas est vacuandum. Medicamenta verò iucunda esse quatenus licet debent, vt à ventriculo compræhensa in actum reducantur, ac ne nauseam, flatus, fluctuationes ex insuauitate ipsa pariant, adeò vt cito suprà vel infrà vẽtriculus excernat. Corpora item quum quis purgare volet, (inquit ille) oportet fluida facere: Id est humores crassos tenuare, lentos incidere, & tergere, & fluxiles reddere, ac meatus aperire, per quos facienda est vacuatio. Tunc sanè concocta medicari, atque mouere oportet, non cruda. Citra quam operam si purgare vomitu, aut deiectione tẽtaueris, difficilis fit purgatio cum torminibus, vertigine, multo fastidio, pulsu malo, dissolutione virium, & difficultate, ac rosione ibidem, quoniam omnes succi crudi sunt pigri, & ad motum inepti, ob crassitudinem & frigiditatem. Medicari autem in valde acutis si materia turget, eadem die oportet. tardare enim in talibus malum est. Signa autem coctionis prauorum humorum (Hippocrate, & Galeno docentibus) in pleuritide per sputum, in affectibus ventris inferioris, per deiectiones. In febribus putridis, & affectibus venosi generis per vrinas desumuntur. Sed deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciantur qualia pro morbi natura, ætate, parte anni, præcedente victus ratione deiici oportet, & ægri facile tolerant. Cõtraria verò grauiter. Neque enim semper optatiora sunt medicamenta quæ multam faciunt etiam noxiæ materiæ vacuationem, nisi æger huiusmodi vacuationem facilè toleret. Plurimum enim atque repente vacuare, vt replere malum. quandoquidem omne nimium, & repentinum naturæ est inimicum. Vnde Plinius lib. 17. cap. 27. imprimis cauendum ne ex remediis vitia fiant. Quod euenit nimia, aut intempestiua medicina. Purgandũ autem initio morborum est, aut sub finem vniuersalẽ morborum, aut vtroque etiã tempore,

pore,

pore,initio quidem,vt minorem iam redditam materiam possit natura facilius coquere:In omnibus tamen tutius est à minoribus & mitioribus incipere,nisi affectus sit maximus.Nam Hippocratis cõsilio,extremis morbis,extrema exquisitè remedia optima sunt. Medici nanq; munus est cito,tuto,& iucunde curare,aut si non omnino curare possit,saltem leuiorem reddere morbum,aut non augere,neque contrarium affectum inducere.In vitium enim ducit vitij fuga , qui caret arte . Quare nullum damnosius medicamẽ adhiberi ægris posse videtur, quàm ignari medici consilium.Præterea,repletio ea quæ ad vasa dicitur in corpore orta,inanitione aut euacuatione soluitur.Quandoquidem Hippocrate docente , quicunque morbi ex repletione fiunt,hos curat euacuatio: Et quicunque ex euacuatione,repletio , & aliorum contrarietas. Non ergo ignorare debet medicus morbos qui ex impletione proficiscũtur, exinanitione curari:& è diuerso qui euacuefactione proueniunt, sanari saturitate:qui à labore,hos quiete: qui ex ocio,eos exercitatione euinci,atque vt vna,breuique oratione complectar,Contraria contrariis curantur . Tali nanque modo morbi vitium facillimè desistere poterit. Etenim medicina,Hippocratis sententia,est additio,detractioque:Detractio exuberantium,additio deficientium in hominum corporibus. Omne nanque auxilium corporis (inquit Celsus Hippocratis fidus interpres) aut demit aliquam materiam,aut adiicit,aut euocat, aut reprimit,aut refrigerat,aut calefacit,simúlque durat,aut mollit.Quędam nõ vno modo tantum,sed etiam duobus inter se non contrariis adiuuant. demitur materia sanguinis detractione,cucurbitula,deiectione, vomitu ,frictione , gestatione , omnique exercitatione corporis , abstinentia,sudore.Verùm, ex principis sententia,nonnulla corporis incommoda tempus idoneum exhibendi medicamentum maxime indicant,videlicet tremor cordis , assiduus incubus,& scotωma, corporis saltus , & faciei sensus turbidi,& motionum debilitas,vehemens faciei rubor, & oculorum lachrymæ lumen effugientium,tristitia,& timor : spontanea sine caussa lassitudo , & casus appetitus , & ad summum , omnis res quæ de suo mutatur vsu,maximè autem ægritudo præsens medelæ indigens declarat. Excernuntur autem corporis retrimenta , superfluentiaque,à viris quidem per aluum,per vrinam , per vomitum , per oculos, per nares,per sputa,per sudores,per aures,per coitum,per poros occultos,per pilos,& per vngues:Mulieribus adiiciuntur duo, lac, & menstrua.Lac autem sanguis est , similiter & menstruum . Temporis igitur

 electio-

electiõe opportuna qua omnia ſydere fauſto agẽda ſint, opus eſt. Quod autem in morbis curandis tempus congruum eligendum veniat, ægrotantium inſtaurandorũ gratia, Idem venerãdus ille ſenex teſtatur aphoriſmorum ſectione prima, aphoriſmo 11. In acceſſionibus, & aliquandiu ante acceſſiones nihil dare oportet. Nam cibum dare nocuum eſt. & quibus per circuitum fiũt acceſſiones, in ipſa acceſſione niſi virium imbecillitas adſit (tunc enim omni tempore cibandum) abſtinere oportet. Ibidem Aphoriſmo. 8. Quum morbus in ſuo vigore conſiſtit, tunc victu tenuiſſimo vti eſt neceſſe: Nam fames ægrotis quàm ingurgitatio magis conuenit. Itaque non pura corpora (ait ille) quantò plus nutries, tantò magis lædes. Quòd autem temporis electio neceſſaria ſit in medicamentis exhibendis, ex eodem elicitur Hippocrate, eadem particula, Aphoriſmo 20. Quæ iudicantur, & iudicata ſunt integre neq; mouere, neque nouare aliquid, ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere. Quiſquis es igitur qui ſanitatem defendere, aut tibi ipſi à morbis præcauere, aut denique ingruentes repellere morbos expoſcis, tempus congruum, aëris affectiones opportunas, victus rationem cõferentem (quæ medicamentis præſtat) prȩeligere (citra neceſſitatem) non aſperneris, vt cuius facultatis membrorum ope pro morbis curandis, vel ſanitate tuenda indigeas, validior, promptiorque tempore cõgruo, aëre opportuno, ac victus ratione conferente reddatur. Aegrotantibus hoc pacto vim vllam inferre veritus, nec morbos ingruentes exacues, nec nouos induces, nec dolores ſymptωmaticos incuties, nec denique ægrũ vita periclitari facies, modò etiam prius ſumma cura, ſummáque diligentia corporũ naturas, morborũ radices cauſſaſque priuſquam manus adhibeas, altius ſciſcitari, deprȩhendere, ac præcognoſcere non ſpreueris. An ſcilicet fatigatio, an ſitis, an frig⁹, an calor, an ira, an melãcholia, an vigilia, an fames, an cibi, viniq́ue copia, an intẽperantia libidinis, aut quid aliud morbum fecerit. Subinde quid ſecundam, quídve aduerſam valetudinem pariat, tollátve, iuuat mente complecti: Quãdoquidẽ nemo ſcire poteſt quo modo morbos curare deceat, qui vnde ij prodierint ignoret, & pro natura morbi remedia mutare neſcierit. Diocles in epiſtola ad Antigonum regem ait, vt enim in cœlo nunquam tempeſtas oritur, quam non ſigna quædam prȩcedant, quibus nautȩ, cȩteriq; haud imperiti homines tutiores reddãtur, ita humanã naturam nullus vnquã afficit morbus, qui non ſigno aliquo poſſit præſagiri. Hæc ille. Morbi corporis pulſu, & colore deprȩhenduntur, eorũque aduentum color, &

laſſitudo

lassitudo prænunciant: Hinc Hippoc. 2. aphorismorum, spōtaneæ lassitudines morbos prænuntiant: Galenus item 4. sanitatis tuendę, Color demonstrat nobis superabundantiam humoris peccantis per totum corpus. Duplex itaque vt plurimum cognitio necessaria est ad curam, medici scilicet & ægroti: Cumque (ex Auicenna) morbum ignoraueris, committe eum naturæ, nec præcipitanter agas, quoniam vel ipsa natura morbum euincet, vel monstrabit. Adde in contagiosis morbis, homines ab hominibus, & sanguine coniunctis facilius, ac promptius infici: quod quidem efficit naturæ similitudo. Tota igitur medicinæ sciētia (Autore Galeno secundo de crisi) ex duabus constat noticiis, Altera subiecti (quod est corpus humanum) circa quod medicus operatur, altera medicamentorum, quibus veluti instrumentis in suo opere vtitur. Vniuersa autem medendi vis in medicaminum qualitate, quantitate, & congruo tempore consistit. Nihil est (inquit Seneca) in morbis magis periculosum quàm immatura medicina, sicut econtrario nihil salutarius medicina tēpestiuè data. Quod etiā planè innuit Ouid. *Auic. 4.1.*

Temporibus medicina ualet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore uina nocent.

Astrorum motus tempestates, & varias anni, ac dierum constitutiones præsignare.

Cap. XII.

SEd rursus ad institutum nostrum reuertamur. Nubilus Vergiliarum occasus (vt ferunt) pluuiosam hyemem denunciat. Si verò sereno tempore occiderint, asperitas hyemis prænunciatur. Si post vindemiam imber cōtinget ante Pleiadum occasum, præcox annus erit. Si verò simul cum occasu Pleiadum imber, fiet medius. Si verò post Pleiadum occasum pluuia cœperit, serotinus fiet annus. Quin & illud quidem ex obseruatione tradunt, quòd à septima mensis Martij vsque ad decimam quartam eiusdem mensis aër frigidior fieri soleat. In illis enim diebus quadraginta martyres in Paganorum manibus traditi supplicio affecti, fidei suæ testimonium præbuerunt. Prædictis adde, quòd ilices, & quercus multum fructuum ferentes, diuturniorem fore hyemem significant. Et Capręs, & oues initæ, rursusq; iniri expetētes, lōgiorē hyemē portēdūt. Si animaliū greges terrā effoderint, & capita ad boreā extēderīt, magnā hyemē pręnūtiāt. Democrit⁹ itaq; talē futurā hyemē arbitratur, qualis fuerit brumæ dies, id est circulus

Capricorni,& circa eũ therici. Dies item Ianuarij quintus, atque vicesimus si serenus fuerit, frugum portẽdi aiunt fertilitatem. Si nix cadat, vel pluuia, caritatem rerum. Sin existant nebulæ, animalium multorum interitum. Sin venti, arma. Quibus itaque annis in quercuum pomo reperitur musca, bellum futurum esse indicant, quibus Araneus pestem: quibus vermis, caritatem. Adde quoque si lubet, quòd Cicero neminem qui Sirio ardentissimo sydere oriẽte nascitur, aqua interiturũ ait. Nec item excidit quod Aristotelem scribere scimus in libro de elemẽtorum proprietatibus: Vbi planetæ coierint in Piscium signum, contingere mox, vt aquis diluantur omnia. Quòd si in geminis fiat coitus is, futuram vniuersi conflagrationem. Sed iis addunt patrum nostrorum scita diuinæ volũtatis iudicium, quod tam fallere, quàm falli nescit. Sic enim vniuersæ naturæ Deus (qui nihil ociosum, nihil inane, ac frustra confingit) cuius numine, ac maiestate mundus totus regitur (inquit Augustinus) res quas condidit administrat, vt eas agere proprios motus sinat, monuitque ille summus rerum opifex (cuius opera perfecta sunt omnia) vbi opus est ad res naturales (quas ipse de terra creauit) confugiendum esse, adq́ue sydera cœlestia, ne ea frustra fecisse videatur. Cum enim post maris rubri transitum venissent Iudæi in locum vbi fontes erant amarissimi, Deus consulenti Moysi, remediúmque petẽti, lignum indicauit, quod naturali vi sua missum in aquas amaritudinem abstulit. Poterat tamen sine ligno solo verbo succurrere. Sed ne res naturales frustra produxisse videretur, monuit (vbi oportet) ad eas (non autem ad incantationes, imagines, aut characteres damnatæ Magiæ) recurrendũ. Vides ergo in sublimi illa syderum Hierarchia cœlum hoc immẽsum, innumeris syderibus ornatum, quod terram liquidis vlnis amplectitur. Illinc quidem emittit seminum quibus opus est, principia. Terra verò rerũ parens grauidata seminibus calore solis omnia parit, alit, & fouet, planræ, arbusta frondescunt, fructificant, maturescunt. Crescunt item partim aëris temperie, partim imbribus, partim ventis salubribus, partim stellis, ac Luna fouentibus. Cæterum, Sol mundi oculns, cor cœli, iucunditas diei, & cœli pulchritudo ornat omnia, omnibus vim amoris ex sese admiscẽs. Qui (vt asserit Plinius lib. 2. cap. 6) Planetarum medius fertur amplissima magnitudine, ac potestate naturæ regimen ac numen est syderum ipsorum, cœliq́ue rector. Hic Lucem rebus administrat, aufertq́ue tenebras, hic reliqua sydera occultat, hic vices temporum, annumq́ue semper renascentem ex vsu naturæ temperat. De quo

etiam

etiam Macrobius lib. primo sic inquit. Non solum terram, sed ipsum quoque cœlum quod verè mundus vocatur, temperari sole certissimum est, adeò vt extremitates eius quæ longissimè à via solis recesserunt, omni careant beneficio caloris, & vna frigoris perpetuitate torpescât. Est igitur Sol Astrorum speciosissimus, longeq; mortalibus vtilissimus esse dignoscitur. Cuius prætereà tanta vis est, vt abstrusa quoque penetrãdo viuificet, sine quo fruges neque oriuntur, neque maturescunt. Quod aperte explicat Vergilius, dum ait. Nocent & frugibus vmbræ. Hinc à sole quicquid sinistrum, remotúmque, pestilens dicitur. Eam ob rem Aristoteles philosophiæ princeps, Solem & Lunam vbique obseruauit. Adde quòd Ioseph deutero. 32. cap. vocat poma, fructus cœli, Solis & Lunæ. Nónne Aquarius ipsam vim solis ostendit? Vnde enim imber caderet in terras, nisi solis calor ad supera traheret humorem? cuius refusio pluuialis est copia. Hinc Aristoteles physici auditus. 2. Astrologiam philosophiæ familiarissimam, & magis naturalem quàm Geometriam censet: Ibidem subiũgens hominem à Sole & homine generari. Si igitur (inquit Marsilius ficinus lib. de vita cœlitus) concedimus Deum rebus infra Lunam mirabiles inseruisse virtutes, multò mirabiliores cõcedamus cœlestibus.

Naturam cuiusque hominis, syderibus obnoxiam.

Cap. XIII.

IAm etiam ostendamus hominum naturam maximè syderibus esse obnoxiam: Etenim pro diuersis cœli habitibus diuersos euadere hominum mores, inclinationes, varia ingenia, naturásque, pro comperto habetur. Tanta siquidem est in hominibus naturarum varietas, tantáq; in vultibus humanis dissimilitudo, vt specie nonnulli differre videantur, quod de animabus Platonici falso concedunt. Vt enim reperies qui naturâ timidi sint, tardi, somnolenti, inertes, pigri, segnes, ignaui: Ita videas qui nascantur animosi, strenui, vigiles, industrij, vegeti, cordati: ita pios, religiosos, iustos, continentes, modestos, benignos: Ita quosdam impios, irreligiosos, iniquos, auaritiæ deditos, procaces inuerecundos, immanes. Quæ omnia Terentius in Phormione testari videtur, dum ait. Verùm ita hoc est, quot homines, tot sententiæ. Et alibi Suus cuique mos est. Plinius item epi. primo: Varia sunt hominum iudicia, variæ volũtates. Quod etiam expressit Ouidius, Pectoribus mo-

 res tot

res tot sunt, quot in orbe figuræ: Idem sentit Persius, Mille hominum species, & rerum discolor vsus, Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno. Horatius aptissimam addidit allegoriam.

Tres mihi conuiuæ prope dissentire uidentur,
Poscentes uario multum diuersa palato.

Alios itaq; alia delectant studia, aliisq; alia cordi esse manifestissimè dignoscimus. Ad quod D. Paulus Apostolus allusisse videtur, cum admonet vt ad præcludendam ęmulationem sinamus vnumquemque in suo sensu abundare. Nanque aliis aliæ res arrident, placentq;, nec omnium ingenia sunt disciplinis, & artibus accommodata. Ob id quisque ingenium suum solerter introspiciat, videatq; cui disciplinæ sit idoneus; & ingenij vires antè perpendat. Nam vt scitè præcepit Horatius,

Tu nihil inuita dices facies q; Minerua,

Id est aduersante & repugnante natura. Ea nanque reluctāte irritus est labor. Ideóque vt monet Seneca,

Inclinandum est quò te uis ingenij refert.
Naturæ noscat semina quisque suæ.
Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis.

Quidam etiam (vt ait Fabius) rus ablegandi sunt. pars nanque hominum studio, pars ludo, (vt ait Plato) sunt geniti, atque hi quidem libidinum serui, sponsi Penelopes, fruges consumere nati. Alios item videre est plus habere ostentationis quàm operis, alios contrà, plus in recessu quā in frōte promittere. Sūt etiam (inquit Arist. Politic. 1.) qui naturę impetu ferè nullo moueātur ad iram, vt ij qui segnes, imbelles, stupidi, ignauique nascuntur. At e diuerso quosdam reperias ita bile feruidos, vt iram in potestate minus habeant, & ad temeraria verba qualibet indignatione prorumpant. Quidam vrbanitatem non reprimentes, lætiferis non parcunt salibus. At inter ipsos homines (eiusdem testimonio) imperans quidam naturâ, & parens propter conseruationem. Nam qui mente prospicere rem potest, naturâ imperat, ac dominatur. Qui verò corpore ita affectus est, vt exequi ista possit, nihil ipse admodum dispiciens, paret naturâ, atque seruit. Sunt item nonnulli ad venerem, ebrietatémque naturâ proni, virtutis tamen beneficio fulti castimoniam seruant, vt de Socrate legimus, qui cum iuxta Metoposcopi iudiciū, ex totius corporis filo atque habitu iudicantis, esset naturâ vinolentus atque venereus, ea vitia sic diligentia profligauerat, vt nemo esset ea tēpestate cōtinētior, & sāctior. Ita ferè in omni virtutis, ac vitij genere cōtingit.

Nec

Nec indecens erit hîc annotare, quod Arist. lib. 2. de historia animalium ad hũc modũ scribit. Quibus facies magna, segnes, quibus parua, mobiles, quibus lata, mente moueri idonei, quibus rotunda, iracundi. Sed vir sapiẽs dominatur astris. Vires itaq; syderibus datę, terrã, & terrę nascẽtia sic afficiũt, vt hoc si comedas, in bilẽ, illud in pituitã, aliud in sanguinẽ trãsmutetur. Quo fit, vt homine variis pro libito cibis vtẽte, mutetur ĩ eo & vẽtriculi, & hepatis, & renũ, & seminis cõstitutio. Sinit ergo de⁹ pro seminũ qualitate, pro dispositione materni vteri, pro cœli, & stellarũ aspectibus, pro ciborũ & regiminis natura, hominũ tẽperamẽta fieri diuersa, & corpora nostra in infinitas ire differẽtias. Proptereà, corporib⁹ nõ vno semp modo affectis, nõ vno semper modo imaginamur, recordamur, intelligimus, sapimus, appetimus ; non eisdem semper delectamur. Non eadem placent exercitia ; non iisdem studiis, ludis, iocísve oblectamur, non eadẽ insomnia cernimus. Pro quorũ etiã varietate vt docet Hippo. lib. de somniis, Medicorũ scholæ nouerũt de humorũ dominio coniectari. redundãte enim sanguine lętiores, felle inardescente, acriores, pituita excrescẽte pigriores, atra bile regnãte, meticulosi, ac tristiores efficimur. Hinc etiã peritiores medici ægrotãtiũ somnia diligẽter exquirunt, & obseruant : Quandoquidem ea interdum sunt caussę, aut signa humanarum dispositionum, quorundámve humorum redundantiam indicãt, Qui enim subuolare se opinatur, prætenuibus humoribus abundare creditur, & quãtitatis moderatæ. Principatum sanguinis significare somnia censentur, cum se quis rubentia spectare opinatur, aut sanguinis è corpore profluuium. At si aquarum, fluminum, niuium, frigoris ingerantur εἴδωλα, phlegmatis ea primatem indicant statum. Si imagines concipiantur ignium, bilis præualet rubra. Eãdem verò atram pollere, prænuntiant somnia terrifica. itaque bene dispositi à natura (vt videre licet) minori negocio, ac diligentia proficiunt. At quibus nouercali odio natura difficilis fuerit, solent omnia faciendo parum aut nihil proficere, & operam, ac impensas vt plurimũ perdere. Nec Chœrilus malus Alexãdri poëta, nec Mæuius, & Bauius, minúsq; Homerus, & Vergilius perdiscendæ poëticæ studium impendisse putãdi sunt, sed minus habuisse (vt credere par est) fauoris à natura. Quod manifestare videtur Vergilius hoc pastorali versiculo,

Dicite Pierides, non omnia possumus omnes.

Et vt habet tritũ Adagiũ, Nõ ex quouis ligno fit mercuri⁹. Qđ & planè

Satyricus poëta docet cum ait, Culpa docentis Arguitur, quòd læua in parte mamillæ Nihil ſalit Arcadico iuueni. Vbi aſinina ſignificatur ignauia. Quod tamen prius & lucidius à Marone dictum eſt, quando ait.

Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis.

Itaque quemadmodum conſtitutio quæ vni genti ſalutifera eſt, alteri, mortem minatur: Et vt corporum diſpoſitionibus, ſic morib⁹, legibus, ſententiis differũt, & ingeniis. His de cauſſis Athenienſes ingenioſiores, Thebani robuſtiores habiti ſunt: quòd videlicet illi in puriore aëre, iſti in craſſiore aëre verſarentur. Euſebius. 8. præparationis euangelicæ, Græcia, inquit, ſola homines generat verè cœleſtes, atque diuinos naturâ ad omnem ſcientiam natos, cuius rei cauſſa eſt aëris ſubtilitas. Solent enim ingenia ſequi aëris qualitatem. Vnde & Bœotios craſſi & ſtupidioris ingenij (Vnde eſt de ipſis prouerbiũ, Sus boeotia) propter craſſum aërem fuiſſe legimus. Imò regio intemperata, inquit Galenus) corpus temperatum non gignit. Quare multum refert quo ſemine quis progenitus ſit, quibus horis natus infans, quibus cibis & exercitiis educatus, quibus cũ alitus, quibus diſciplinis imbutus, ſub qua cœli parte nutritus. Nõ igitur omniũ æquè nationum corpora ſunt ad ſapientiæ, ac intelligentiæ perceptionem idonea. Vnde Socratem vel vt alij volunt Thaletem dicere ſolitum accepimus, Propter tria ſe maximè Deo gratias agere, quòd ſcilicet mas non fœmina, homo non beſtia, Græcus non barbarus natus eſſet. Tanta ſiquidem eſt hominum diuerſitas, vt quod vni honeſtũ, alteri turpe: quod nobis iuſtum, aliis iniuſtum ſit, pro cuiuſque temporis, loci ſtatu, hominum opinionibus, vel legibus. Porrò habent & ſingulæ nationes à ſuperis agnata ſibi morum diſcrimina, per quæ facilè à ſe inuicem diſcernantur, vt cuius quiſque nationis ſit oriundus, à voce, à ſermone, ab oratione, à conſilio, à cõuerſatione, à victu, à negocio, ab amore, & odio, ab ira, ac militia, ſimilibúſque exercitiis facilè cognoſcatur. Habet etiam vnaquæque natio quantuncunque etiam ſiue ciuilis, ſiue barbara peculiares mores, ritúſque ſibi à cœlis influxos à cæteris diuerſos, qui ſub nullam artem philoſophiámque cadere nequeant, ſed ſola naturali virtute abſque omni diſciplina hominibus adgenerantur. Itaque inſequi videntur & nationes ſua vitia ex ſyderum influentia contracta. Hinc non ineptè extat illud Adagium, Mores hominum regioni reſpondent, vt plantæ. Quæ quia à Firmico materno ſatis ſupérque notantur, hîc ea memorare forſan videri poſſet odioſum.

Virtutes

Virtutes occultas rerum à cœlesti virtute prouenire. Cap. XIIII.

POrrò autem virtutes rerum occultæ quæ ſpeciales à medicis nominantur, non ab elementari natura fiunt, ſed cœleſti. Nónne ſuffragante cœli vultu (inquit Marſilius ficinus de vita cœlitus) innumerabiles ſæpe ranæ, ſimiléſque animantes ex arenis momento proſiliunt? Nónne etiam familiæ quędam (eiuſdem teſtimonio) apud Illiricos, & Triballos iratę, intuitu homines interemiſſe ferũtur? Et fœminę quędam in Scythia idem facere conſueuiſſe? Nónne principis in vrbe vultus quidem clemẽs, & hilaris exhilarat omnes: ferox verò vel triſtis repente perterret? Quid non ergo cœleſtium vultus omniũ terrenorum dominos aduerſus hæc efficere poſſe putas? Quippe cùm etiã coeuntes ad prolem plerumque non ſolum quales ipſi tunc agunt, ſed etiam quales imaginantur, ſoleant filiis diu poſteà naſcituris cõfeſtim imprimere. Cuius rei Iacob non ignarus, ouium fœtus in vtero colorabat. Quî fit etiam quòd Septimeſtres infantes ſint vitales, octimeſtres minimè? Porrò permulta rerum parẽs natura (quemadmodum Plutarchus prodit) quæ vel cœcis laborent diſcordiis, vel quæ conſenſu mutuo concordent. Hoc ſympathiam, illud antipathiam Græci vocitant, quæ miraculo digna frequenter nobis occurrunt, nóſque magnam in admirationem trahunt. Quid eſt (quæſo) quòd elephantos illos enormes porcina vox, grunituſque terrificat? Elephas item inſanus, ac furens ariete conſpecto manſueſcit. Taurus quantumcunque ferox miteſcit, domaturque fico arbori adalligatus. Leones item generoſiſſimos animalium, gallorum gallinaceorum cantus, & facies criſtata perturbat. Quid inquam magnetem lapidem mira naturæ lege ad polum conuertitur, ferrumque ad ſe trahit, rurſuſque abigit à ſeſe, ſi allio confricetur, ſed vt extincta fere vis reuiuiſcat, ac recreetur, hircino proluitur ſanguine. Coralius lapis in domo iniuriam omnem emolitur, & inſidias expellit. Sed non alia ratione dicere licet, Leo gallum veretur, niſi quoniam (inquit Marſilius Ficinus) in ordine phębeo gallus eſt leone ſuperior. Eadem ratione, inquit Proculus Apollinentum dæmonem qui nonnunquam ſub figura leonis apparuit, ſtatim obiecto gallo diſparuiſſe. Philoſophi itaque naturas rerum cognitione priuatas volunt ab intelligentiis, quæ voluendis cœlorum orbibus à deo præfectæ ſunt in

opera dirigi,& aliena prudentia,ne operando peccet gubernari. Quo fit,vt res insensiles quales herbæ sunt,& arbores,& id genus alia, tantò minus in procreandis fœtibus suis erret,quantò perspicacioris naturæ iuuantur ingenio. Ideo à Peripateticis dicitur opus naturæ,intelligẽtiæ opus esse. His de caussis si quis recto examine apud se librauerit, Astrologiam(quæ cœlorum, astrorúmque motus, syderum ortus, & occasus contemplatur)medicis humanarum passionum prouidis cõsultoribus, præcipuè ad venæ sectionem,corporis purgationẽ(quæ prima,& præcipua sunt vacuationum genera, quibus morbi plerique omnes egent) decretorios dies, integramque morborum curationem summè vtilem facilè diiudicabit. Quod voluit Hali verbis sequẽtibus,Astronomiam ignorans (inquit ille) est tanquam cæcus viam baculo tentans,huc & illuc turpiter offendens. Galenus etiã primo Methodi medendi,planè fatetur Astronomiam medico necessariam, dum carpit Thessalum improbum medicum, qui neque Geometriæ, neque dialecticæ, neque Astronomię,neque vllius bonarum disciplinarum indigere artis medicæ studiosos dicebat.

Quæ commoda ex syderum scientia.
Cap. XV.

MAxima commoda ex syderali sciẽtia,Astrorumq; obseruatione profluere nemo est qui ignoret. Hæc enim Solis rerum parentis,Lunæque varios cursus,hæc meatus syderũ, hæc rationem temporum deprehendit,aperitque futuri temporis euentus,vitæque pericula monstrat. Hac item pendentia fata(si Manilio credimus)discerni possunt,dum ait:Fata quoque & vitas hominum suspẽdit ab astris. Sic felix, aut triste venit per singula fatũ. Hac peritus quisque Astrologus multa mala obseruare potest,quæ secundum stellas vẽtura sint,quoniam cum earum naturã præsciuerit, sic eum pręmuniet, cum mala(licet non necessario)ventura sunt,vt cùm venerint possit illa facilius tolerare. Adde quòd medicinæ atq; diuinationis cõsociatæ sunt disciplinæ. Nam medicus vel commoda, vel incommoda in corpore futura prænoscit,sicut ait Hippocrates:Oportet medicum dicere de ægroto quæ sint,quæ fuerint,quæ mox ventura sequentur. Nec dubitandum est ex motu cœlestium corporum plurimos rerũ euentus pẽdere,potissimũ ex his quę à nostro nõ manãt arbitrio. Nã & in Genesi legitur,Luminaria cœli ad hoc producta esse,vt sint in signa, & tẽpora,

& dies,

& dies,& annos præſertim in naturalibus effectibus. Signāt enim ſydera futura tēpora,an natura ſicca,aut humida vētura ſunt.Secus in euentis quæ ex arbitrio procedunt,& cū ratione dirigi poſſunt.Verū ex Alfarabio hęc ars partim mēdax eſt,& hominibus incognita.Quis(rogo) hominum nouit,omnium , tamque diuerſarum ſtellarum varias naturas,& effectus,& inde virtutes ex omnibus mixtas,vt pręnuntiet innumeros euentus etiam naturales tum in elementis, tum elementatis contingentes,vt abſque errore dicere poſſit,harū ſtellarnm coniunctio,neceſſario ſiccitatem facit,aliarum verò coniunctio , aquarum abundantiam efficit,& quarumdam peſtilentiam inducit,& cętera id genus quę pater poſuit in ſua poteſtate & in ſuis theſauris . Nemo ſanè nouit iſta pro certo pręmedicere,ſed per quaſdā coniecturas fallaces aſſerūt, nōnulla ex his quæ aliquādo cōtigerunt . Ea de cauſſa Aſtronomiæ iudiciariæ minimè credēdū.Ex cuius ſinu profluxiſſe ſuperſtitionū omniū vanitates,locupletiſſimus auctor Varro teſtatur.Sed huius farinæ hominum demētia irridēda,qui ſcire ſe ſimulāt quæ in cœlo agūtur,quaſi cōſilio cœleſtiū interfuerint,atq; recēs inde venerint,cū tamen quę in terra,quę in domo vxor,ſoror aut ancilla eius egerit ignorent.De quibus apoſtolus ait,Ad ſobrietatem non ſapiētes ſtulti facti ſunt. Hanc artem pro clypeo quodam ſuę iniquitatis nō pauci temere ſectātur, venerantur,& colunt.Nempe Diuinaculi,Necromantici , Chiromantici , Pyromantici,Hydromantici,Aruſpices,Harioli , Genethliaci , præſtigiatores cane peius & angue fugiendi.& ideo huiuſmodi vaticulis calamitoſo hominū generi(quoniam multa mendoſe effutientes fortunas hominum dicere volunt,quaſi de fortuitis euentibus ſcientiam habentes) fidem aliquam dare ſtultiſſimum eſt . De quibus ſcribitur Leuitici decimonono cap . Non declinetis ad magos , nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini , vt polluamini per eos. Nec ab his cōiectatoribus veritatem expectes agnoſcere . Nec quid aſtra de te requiras,aut quid de te futurum ſit . Quandoquidē id Deus ſciri non vult.Sed quid aſtrorū conditor ſanxerit,bonis operibus expecta.Sed vt vnde digreſſus ſum redeā, Nónne,& Viatoribus,& nauigantibus , qui longam,ac deſertam viam capeſſunt,regionum ſitum ſtellarum obſeruatione ſignare neceſſum eſt, qui cùm eò vſque prouecti ſunt à terra vt iam cœlum vndiq;,& vndiq; pōtus,ſtellarū indicio curſum moderari ſolēt,maximè Cynoſurę,& Helices.Hęc eadē oīm ſalutē cōſeruare docet.Hac etiā duce(vt ferunt) ad

 humanarum,

humanarum, diuinarúmque rerum notitiam peruenimus, eademque ad sacra (vnde salutis nostræ rectè beateque viuendi præcepta hauriuntur) confert intelligenda. Prophetarum princeps Psal.18. Cœli enarrãt gloriam dei, & opera atque facta manuum eius annunciat firmamentũ. Si ergo dei notitiam habere desideramus, cœli, stellarumque scientiam habere decet. quod maxime viris ecclesiasticis, & cunctis deum timentibus conuenit. Nam qui exactius pensitarit, rem totam comperiet liquidò cœlestem claritatem adeo præcellere naturæ quadam præsigni maiestate, vt in perenni, ac vitali luce illa augustissimum diuinitatis mysterium sit facilè deprehensurus. Siquidem vertiginosus ille motus ampliorem nobis indicat potestatem. Lux nitidissima, sapientiam. Calor suauissimus, amorem. Quibus à principe summo rerum deo cœli, solíque monarcha mouentur, illustrantur, perficiuntur omnia, atque seruãtur. sine hoc nec inferius generabitur quippiam, nec genitum suas exercebit functiones. Et quidem sicuti intimus & vitalis calor noster, corpora confouet, ac seruat, eiusque fomento, quæ agunt in nos non frustra agunt: Ita si non adsit cœlestis ille calor, corporũ virtus omnis præsertimque ille ipse tam vitalis, tamque familiaris nobis calor proflictus depereat necesse est. Quoniam verò cœlum corpus est perfectissimũ, comparem quoque locum, id est supremum habere. ex rerum dignitate consequens fuit. Scitum illud Aristot. est ex lib 8. auscultationis physicæ, motum primi cœli vitam esse omnibus, quandoquidem euidentissima est, & communis operatio vitæ, intimus motus: cessante autem cœlo, nec cætera mouebuntur. Sicut in minori item mundo si cesset motus cordis, omnes animalis motus perire necesse est. Nec lapis itaque deorsum moueretur, nec ascenderet ignis. Adde Solem, & lunam in regione illa cœlesti (vt Ptolemæi verbis vtar) veluti Reges ducesque prę sidere: ad quos præcipuè mundanarum rerum mutationes & veluti negocia referantur. Cæteras autem stellas eorundem subministras esse, & in cœlesti illo exercitu quasi tribunos, cẽturiones, & milites, qui imperata à regibus suis exequantur. Propterea Pici Mirandulæ sententiæ acquiescendum minime censeo, asserentis, præter solem & lunã reliquas stellas nihil in rebus inferioribus viriũ exercere. Quasi sapientissimus ille architectus, & naturę author Deus tam magnam nobilissimorũ corporum molem, tantum numerum cœlorum, tam varios illorum motus, tam admirabilem, tam ordinatum ipsorum inter se motuum concẽtum frustra, & sine alia operatione creasset. Sed vt ratio postulat, duobus

bus luminaribus primarias virtutes tribuimus, reliquis autem secundarias, & earundem subministras.

Astronomiæ commendatio, ab iis qui eam exercuerunt, & effectu quem habet. Caput XVI.

QVantopere commendata fuerit antiquis Astrorum cognitio, passim apud omnes authores videmus. Vnde Chaldæi sydera lis scientiæ consultissimi, eidem maximas vires contribuerunt, qui ex motu syderum, vique stellarum cætera omnia fieri existimant. Aegyptij item omnium philosophiæ disciplinarum parentes, in omnibus medendi libris scientiam syderum prognosticationibus coniunxerunt: eo scilicet vt existentium temperaturarum qualitate per stellas, necnon & symptomata corpori euentura depręhenderent, hi sane planetarum motus, & vagas vertigines, coïtus, oppositiones, Solis labores, & lunæ defectus excogitarunt, quæ etiam astrorum vires erga animantium generationem, quæúe aut bona, aut mala importarent, ac portenderent hominibus diligenter scrutati sunt. Sæpius itaque quò melius futuris occurri posset, sterilitatem fructuum, & vbertatem, morbos tum hominibus, tum brutis animantibus imminentes, terręmotum atque inundationum tempora, cometarumque pręnuntiabant. multa etiam reliquis cognitu difficillima diuina obseruatione significabant. Huius artis adipiscendæ gratia Pythagoras Philosophus sapientissimus è Samo in Aegyptum trāsiuit, & Persarum magos adiit, à quibus stellarū naturas, cursus, & syderum motus cognouit. Sic Plato (qui doctrina plurimum excelluit) Aegyptum. Sic Apollonius philosophus intrauit Persas, pertransiuit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas. opulentissima Indiæ regna penetrauit, & ad extremam latissimo Physon amne transmisso peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcham in throno sedentem aureo de natura, de motibus syderum, ac dierum cursu audiret docentem. Inde per Elamites, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palęstinos reuersus Alexandriā perrexit Aethiopiam, vt Gymnosophistas, & famosissimam Solis mensam videret in sabulo. Quid Athlantem (cuius filiæ finguntur septem Pleiades) cælum ipsum humeris sustinere finxit antiquitas, nisi quòd Astrologus fuerit peritissimus. Verùm huius negocij relictis Ethnicorum, prophanorum, et externorum innumeris suffragiis, Ad Christicolarum

historias nos confugere par est. Nam Adamus Protoplastus ille Astronomiam tanti fecit (teste Iosepho authore sanè grauissimo, antiquitatũ primo) vt duas columnas reliquerit: vnam æneam, alteram lateritiã, in quibus syderum motus descripserat, ne per aquæ cataclysmos, & incendiorum conflagrationes, quæ futura esse diuino spiritu afflatus prænouerat, ea scientia quãdoq; deperiret. D. itaque Hierony. ad Paulinum scribens, adfirmat Medicorum, Astronomorum, Astrologorumque scientiam mortalibus vel vtilissimam esse. Nónne tres Magi illi sapientissimi philosophi syderalis scientiæ periti, & Reges sanctissimi ab oriẽte (vnde dies nascitur) stella duce confestim venerunt, & eisdem natum regem Iudæorum indicauit? eosdemque ad eum adorandum inuitauit? Nónne etiam D. Dionysius Areopagita philosophus tutelare Galliarũ numen, magnus Astronomiæ cultor fuisse perhibetur? qui Athenis percipiens in die passionis dominicæ, solis deliquium in plenilunio contigisse, nec huius caussam inueniens, illud non esse naturale, sed miraculosum naturæ contrarium sanè diiudicauit, ac viso portento territus continuò exclamauit, aut Deus naturę patitur, aut tota mũdi machina dissoluitur. Sed vt de cæteris taceamus, Christus ille Anthropotheos virginis filius pientissimus, à quo salus, & vita resurgit, eandẽ artem comprobauit, & ex elementorum ordine, atque constãtia posse, & serenos, & pluuiæ dies prænosci, & quodãmodo augurari futura posse videtur testari Luc. 12, In cœlo aliud hyemis, aliud sereni tẽporis signũ est. Ad idem Mat. ca. 16. Cùm accessissent ad Christum Pharisęi, & Saducæi tentantes rogauerunt eum vt signum de cœlo ostenderet eis. At ille respondens ait. Facto vespere dicitis, serenum erit. Rubicũdum est enim cœlum. Et mane hodie tẽpestas, rutilat enim triste cœlum. Quo fit vt tota via, totoque cœlo mihi aberrare quidam insolenter philosophantes videantur, qui suam inscitiam prodentes, audent temere in Astronomiam illam sublimem philosophiæ familiarissimam insurgere, quique nescio quo ore, quáve fronte huic diuinæ arti nigrum præfigere theta conantur: & ab hominum cõsortio perperam, & iniquè sequestrare cõtẽdũt. Hos enim puto leuiter dãnare quę penitus ignorãt, & de ea sentire, quod cæci de colorũ differẽtiis. Nã vnusquisque bene iudicat de his quę bene nouit, horũq; bonus est iudex. Quapropter, felices essent artes, si de illis soli artifices iudicarẽt. Artis enim suę queq; & autorẽ, & disputatorẽ optimũ esse ãbigit nemo. Nã iuxta Horatij flacci vulgarẽ sẽtẽtiã, Quod medicorũ est promittãt medici, tractẽt fabrilia fabri.

Sacerdo-

Sacerdotes inculpatæ vitæ esse debere. Cap. XVII.

NVnc demum ad viros Ecclesiasticos rerũ spiritualiũ administratores, orthodoxęq́, fidei proceres & columina, vices Christi seruatoris (qui maximus est põtifex) in terra gerẽtes verba cõuerto: quos synceris, & expolitis moribus, vita vndiquaq; inculpata, mente pura, & ab omni humanarũ rerũ cõtagio immunes, cultúq; decẽti ornatos imprimis esse decet. quibuscum feliciter ageretur si secularibus negociis, caducisq; reb⁹ hominẽ excæcantibus, & id genus aliis plerisq; quę gentẽ sanctã, regale sacerdotiũ minimè decẽt) prorsus reiectis suo quisq; officio probè fungeretur, ac in sese descẽdere tẽtaret, haberétq; semper præ oculis prudentis more, Græcũ illud ex Apollinis oraculo deprõptũ, γνῶθι σεαυτὸν, nosce te ipsum, quod qui adsequũtur, diligentiã quãdam & artẽ qua boni efficimur acquirũt. Res sane præclara est sacerdotiũ, si quis se in eo gerẽdo qualẽ oportet præbeat. Nam ex Chrysostomo, qui alios purgandi curã suscipit, aliis sanctior, purgatiorq; esse debet. Qui igitur (vt vna breuíq; oratiõe cõplectar) animas protegẽdas vt patronus, curandas vt medicus, erudiendas vt doctor, nutriendas vt pastor suscipit, hic re vera sapiens, amplisque honoribus dignus censetur. Hinc extat beati Pauli sentẽtia, Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore habeantur. Scribitur item Ecclesiastici capite 7. Honora Deum ex tota anima tua, & sacerdotes illius sanctifica.

Sacerdotibus necessariam esse Astrorum cognitionem. Cap. XVIII.

SI cuiquã igitur ex mortalibus necessaria est cœli, Solísque cognitio, cui magis esse debet quàm sacerdoti? cuius tanquam senioris, atque adeò prudẽtioris officium est populũ erudire, de rebus arduis diuino quodam ingenio tractare: nihil aliud quã diuinum ac cœleste meditari. ad ipsos igitur sacerdotes spectat tempus ipsum, cœlestiáq; mysteria, syderumque motus ad festa mobilia, cæteráque decus, & statũ christianę ecclesiæ cõcernentia, æquis oculis (prout eorum statui congruit) pensiculatius contemplari. Nam quàm honesta, quánque digna sit bono viro syderalis scientiæ cognitio, abundè testatur Ouidius, dum ait.

Felices animæ quibus hæc cognoscere primum,
Inq́; domos superas scandere cura fuit.

Credibile

Credibile est illos pariter uiciisq; iocisque
Altius humanis exeruisse caput.

Ad hæc accedit cuiusdam sequens distichon.

Astra colit sapiens, terram ueneratur auarus,
Impius hanc Pluto, Iuppiter illa tenet.

Ea enim nos euocat ab his tenebris, & crasso aere, & in superiorem illam lucidissimamque domum tot luminaribus distinctam, oculos atque animum inducit, in quem aspicienti iucundum est varias fixarum stellarũ imagines discernere, & erraticas suis locis, nominibúsque denotare, earũq; coniunctiones, & item alternos Solis, & Lunæ motus, oppositiones, congressus, defectúsve longè antè præuidere, prænoscere, atq; prædicere. Ex quibus plurima commoda consequimur, & non parua pericula, & incommoda vitamus. Astronomiæ itaque præstantia vel ex hoc vno potissimum dignosci potest, quòd circa obiectum Dei maximi opus summè admirandum (quod est corpus cœleste) versatur, quo quid absolutius? quid pulchrius, quid maius? quídve admirabilius videri, & excogitari potest? Corpus inquam inter omnia corpora capacissimum, præstantissimum, sphæricum, nulli alteratiõi prorsus obnoxium, inuariabili substantia semper manens, supremo, & nobiliori loco, motuque à Deo præscripto regulari, ac circulari omnium motuum priori, ac perfectiori decoratum. Cuius moles tam vasta, tánque insignis est, vt quantitas totius terræ cum oceano, sit tanquam centrum, & punctus ad ipsum firmamentum relata. Adde quoque (si lubet) quòd soli homini cunctarum animãtium sublimis, ac erecta est statura, quo commonemur omnes non esse hic nos vt incolas, & habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cœlestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Deuteronomij 4. Deus corpora cœlestia fecit in mysterium cũctis gentibus quæ sub cœlo sunt. Propterea, Mercurius sanè (inquit) generatio hominum ad diuinorum est operum cognitionem, ad cœlestium discursum suspiciendũ, cuius caussa sunt omnia à Deo quodammodo producta. Tantæ enim sublimitatis est homo ex corpore & anima constans, vt omnium quæ cœlo continẽtur, imò & cœli ipsius, ac Dei sit capax. Vnde philosophi gentiles multa de Deo rectè scripserunt, vt quòd vnus, quòd immẽsus, quòd incorporeus, quòd sempiternus, quòd optimus, quòd omnipotens, quòd semper vigilans, quòd affectibus carens, quòd mundi opifex, quòd primus motor, quòd finis omnium atq; principium. Cœlum autem quòd tanto inter-

to interuallo remotum eſt, ſic ducente oculorum acie ratio penetrauit, vt polos, vt axes, æquinoctialem, Eclipticam, maximas ſolis declinationes, Tropicos, arcticum, & antarcticum circulos, necnon & Epicyclos, motus etiam planetarum & firmamenti ita deprehenderit, vt qui diligenter ſupputare, & ad calculum matheſeos reducere voluerit, vix vnquam errare poſſit. Quod exẽplo declaratur Hipparchi. Ipſe enim, teſte Plinio, Solis & lunæ curſus, & eclipſeis in ſexcẽtos annos ſeculo ipſo atteſtante præcinuit, non minus verè quàm ſi conſiliorum naturæ particeps fuiſſet. Tãti inſuper vigoris eſt, vt ſit eius animo celeritas vẽto citatior, igne volucrior, tantæ felicitatis, vt ſit paulò minus minutus ab angelis, ſicut propheta inquit. Sortitus etiam corpus quod immortalitatem poſſit induere, ad imaginem quoque dei factus. Omnium prætereà animantium dominus, habens ad cuſtodiam ſui angelos quaſi pędagogos. Cœli inſuper niſi deum contemnat, hæres futurus. Cacodæmonibus, & apoſtatis imperat. Inſuper & promerendi paradiſum, habet arbitrium. Et vt in. 2 phyſic. meminit Ariſtote. homo quodammodo finis eſt omnium. De quo Marcus Manilius lib. 2. aſtronomicon ita inquit. Eximiam natura dedit linguãque, capaxq; ingeniũ volucremque animum, quem denique in vnum deſcendit Deus atque habitat, ipſumque requirit. Cùm enim ſtatuiſſet ſummus ille rerũ diſpenſator, omniumque bonorum cauſſa Deus, ex omnibus animalibus ſolum hominem facere cœleſtem, cæteraque vniuerſa terrena, hunc ad cœli contemplationem erectum fecit, bipedemque conſtituit, ſcilicet vt eadem ſpectaret, ac contemplaretur, vnde illi origo eſt. Illa verò depreſſit ad terram, vt quia nulla his immortalitatis expectatio eſt, toto corpore in humum proiecta ventri, pabuloque inſeruirent. Hinc rectè cecinit Ouidius.

Pronaq; cùm ſpectent animantia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumq; uidere
Iuſsit, & erectos ad ſydera tollere uultus.

Hinc Anaxagoras Clazomenius philoſophus non modò generis gloria, & opibus, verùm animi magnitudine clariſſimus, rerum mundanarum, ſuarumque contemptor, quum quiſpiam exprobraret, quòd patrię nulla eſſet illi cura. Imo, inquit, mihi patrię cura, & quidem ſumma eſt, digito cœlum monſtrãs: Idem rogatus curnam ſe natum arbitraretur? Reſpondit, cœli, ac ſolis, & lunæ videndi cauſſa. Eccle. cap. 11. Dulce lumen, & delectabile oculis videre ſolem. Hinc Moſes vir ſanctiſſimus

cœlestium dominum in die solem arbitratur, nocte Lunã, quasi nocturnum solem. Nã legimus, Et in sole posuit tabernaculum suum. Credidit etiam Plato Solem esse perspicuã Dei statuam, in hoc tẽplo mundano ab ipso Deo positam. Hic enim (vt disertissimè scribit Plinius) cœli tristiciam discutit, atque etiam humani animi nubila serenat. Hic lumen suum cæteris quoq; syderibus fœnerat, Luna virtute Solis domina generationis. Fas itaque putemus in terris ediscere, quorum agnitio perdurabit in cœlis. Nónne etiam in summa illa hierarchia est cœlum Empireum, palatium Dei, & omnium electorum, vbi beati æterna con suetudine Dei fruuntur, immortalique felicitate potiuntur? In quo nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque cor cogitauit quæ dominus Deus omnipotens præparauit diligentibus se. Ad cuius agnitionem & ad im mortalitatem conditi sumus. Cuius inquam deliciæ sunt esse cum filiis hominum. Sanitatem quidem corporis Hippocrates, animi verò Socra tes pollicetur, sed veram vtriusque sanitatem solus ille præstat qui sic exclamat. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Ego sum via veritas, & vita. Caput igitur mentemque in illud pulcherrimum, ineffabile, & immortale domicilium mũdum cœlestem extollant, diui Pauli salutiferi consilij non immemores dicentis: Quæ sursum sunt sapite, nõ quæ super terrã: Illuc tendimus omnes, illic scopus noster præcipuus figendus, & vltimus finis constituendus, illic nostra est patria, terra promissionis, quam exules cõquirimus, qua nihil omnibus bonis afluẽtius cogitari potest. Struamus ergo nobis illic (nõ in terra) thesauros, quò neque fur penetrat, neque rubigo exedit, neque tinea rodit, neque vllus territat metus. Hinc omnis merces laborãtibus expectatur, illuc summa, & supernaturalis felicitas, vita verè beata, solida, perpetua, & immortalis: hoc est visio gloriæ Dei, diuinique vultus contẽplatio, quæ est summa lçticia finis creationis, & merces iusti. Sũmumque hominis bonum in mente, ac præ oculis semper habendum, quo Solo humanæ conditionis dignitas (inquit Augustinus) satiatur, in quo omnium bonorum essentia, perfectióque continetur, ad cuius con templationem caligat mens, rapiturque trãsuersa, veluti altioribus mer sa tenebris. Proinde desinat homo se ignorare, respectetque ad opificem suum, quo vt posset perfrui, ex bonitatis illius fonte exuberãtissimo in Lucem vitalem est emissus. Ad quod nos inuitat, hortatur, & syncerè admonet qui ait. O felix mortale genus si semper haberes æternum præ mente bonum, finemque timeres. Caueamus ergo ne irritum faciamus

ciamus apostoli consilium. Couersatio (inquit) vestra sit in cœlis. Quo modo autem in cœlis conuersabimur, interea dum adhuc anima in corpore clausa est, nisi cogitando quanta sit Dei maximi excellentia? Hæc autem vnde melius discetur quàm ab operibus illius, quæ sunt omnia summa admiratione digna. Est tamen sicut habet regius propheta, mirabilis in altis domin⁹, qui respicit terram, & facit eam tremere, qui ministrat semen seminanti, & panem comedenti, per quem nec ales esurit. Qui Solus stellarum multitudinem numerat, eisdēq; nomina designat: qui tangit montes, & fumigant, qui operit cœlum nubibus condensis, & parat terræ pluuiam vt fœcundentur nascentia. Cuius nomen admirabile est in vniuersa terra, qui vbique est, & omnia implet quem vniuersalē vocat Pythagoras. Qui Solo verbo vltra hominis captum cœlum & terram condidit, qui nutu dirigit orbem: Cuius ab imperio fulmina missa cadunt. Vnde Paulus primæ ad Corinthios octauo cap. Vnus est Deus, in quo omnia, & per quem omnia, & ex quo omnia, cuius sermo veritas est infallibilis. Pulchrum quidem est admirari varias Dei creaturas, super terram sparsas, pulchrius certè contemplari latissimam, ac pulcherrimam fabricam illam cœli, quam dominus digitis suis (sicut cætera) compegit, eamque nostris addixit visibus. Non est profectò dignus appellatione hominis, multóq; minus nomine Christiani, qui non sæpe admiratur donum illud iucundum, amabile, & necessarium Solaris Lucis, Lunaris, & syderalis. Aues quidem cœli, canes, & cætera ferè bruta corpora illa cœlestia inspectant: imò inter pisces est Ouranoscopos, sed intuitus huiusmodi sensum corporeum non excedit. Quibus non immeritò bestialiores erimus, si magnifica illa Dei opera solo corporis oculo non etiam mente perspicaci contemplemur. Itaque in illis intueri debet mēs humana pulchritudinem vtilitatem, ordinem, circuitumque definitum à summo illo Archetypo ad illius gloriam, & nostram necessitatem. Veteres quidem philosophi propter vitæ suæ commoditatem hoc studium amplexi sunt. nos autem quos decet magnalia Dei (qui Solus est æternus) discere, & ea quibus possumus laudibus euehere debemus, vel hoc Solo nomine cœlestium creaturarum differentias, & virtutes exquirere. sic enim cum illa cognitiōe crescet amor Dei, fietq; vt verū agnoscamus Pauli dictū, inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt visibilia intellecta cōspiciūtur, sempiterna quoque virtus ipsius potentia, & diuinitas. Quæ cum vera sint,

debeantque omnes Christiani magnificare opera domini, æquius est profectò vt Ecclesię rectores qui positi sunt in medio populi tanquam lucernæ, præluceant cunctis scientia, veritate, virtute: quæ suos cultores Deo efficit dignos. fide, charitate, & exemplis bonæ vitæ exerceant sese, non solum in contemplatione misericordiarum domini, verumetiam laudem Deo cœlorum cõditori quærant à cognitione creaturarum tum terrestrium, tum etiam cœlestium. Id quod fecisse constat maiores nostros, diuinitus impulsos, à quibus accepimus institutionẽ piã, & sanctam ecclesiasticarum solennitatum. Legimus enim priscos patres (qui sapientia & pietate excelluerunt) tantam curam, ac diligẽtiam ad rectam sacratissimi festi Paschę, ac Pẽtecostes, cæterarumque solẽnitatũ celebrationẽ, olim adhibuisse, vt merito statuerint, ac decreuerint olim neminũ in sacerdotium admittẽdum, qui Computũ, hoc est Solis motum, ætatis Lunæ normam, temporum distributionem, rationem terminorum Paschalium, festorumque mutandorum (vt annorum curriculo vario contingit) ordinem, indagationem, & situm ignorauerit, Licet non conueniat Christianis dies, & lunationes superstitiosè obseruare. Cum igitur omnes viri Ecclesiastici debeant callere, & habere Chronognωsin, id est temporis notitiam, sitque vita hæc qua fruimur admodũ breuis, summa ope adiuti decet, vt has horas rapidissimas, diésque festos officio diuino maximè destinatos, cursusque, & rationes Solis, & Lunæ (ducum anni) quoad licet cognoscamus, cũ præsertim Romana Ecclesia in suis negociis disponendis, & absoluendis dũtaxat Solis & Lunæ, reliquorum planetarum motibus posthabitis, vtatur. Atq e hæ demum sunt rationes quibus persuadere possumus non rusticis modò, atque adeò infimæ sortis hominibus, verumetiam reliquis, tum medicis, tum etiam sacerdotibus, Solis, ac Lunæ, reliquorumque astrorum cognitionem perutilem. nedum necessariam esse. Cuius rei arduitas cũ animũ nostrũ in diuersa pertraheret, factum est ad extremum vt quosdam Canones, ac Schemata describeremus, quibus ea omnia quæ ad Cycli Solaris, Literæ dominicalis cuiuscunque anni propositi, interualli & Concurrentium, Cycli Lunaris, siue Aurei numeri, indictionis, cycli Clauium communium, festorum mobilium, situs planetarum, numerum, ordinésque Sphęrarum, ac non paucorum aliorum scitu dignorum indagationem pertinerent, omnibus legentibus essent facillima. Quæ iuxta vsum Roma. ecclesiæ sacerdotibus, ac christianę fidei studiosis, sint omnium maximè necessaria. Ea verò sequenti libro ad vnguem expressa atque planè explicata videbuntur.

Finis primi Libri.

IOANNES GVIDO ARTIS MEDICAE PROFESSOR, LODOVICO MONtis sanctæ Mariæ, & Charitatis Abbati meritissimo S. D.


T sunt varia singulorum ingenia, religiosorũ Religiosissime, ita etiam varias esse ad diuersa scientiarum studia inclinationes, tum in dicẽdo, tũ etiam scribendo, atq; exercendo certissimũ est. Sũt enim quibus placeat bene atque ornatè dicendi præceptis incumbere, ea laudare, iis omnem impendere atq; adhibere operam. Sunt etiam quos magis oblectat Agriculturæ cognitio, alij de naturæ in rerum procreatione incredibili artificio disceptãt, totos se ad eius rei inuestigationẽ dedũt, immergunt: quam ob id Philosophiam appellant. Neque desunt quorũ animus ad diuina, ac superiora illa mystica (quæ μετὰ τὰ φυσικὰ Græci vocãt) magis erigatur. Mihi verò præter cætera astrorũ insigni ac longè omnium nobilissimę cognitioni animum vtcunque aduertere placuit. Itaque libellum præsentem de Solis, & Lunæ variis motibus (vt certa anni, mensiumque descriptio haberetur,) conscripsi. Quarum rerum cognitionem ad religionem, & ad multas vitæ partes necessariam esse perspicuum est: Quanta enim esset confusio præsentium negociorum, contractuum, pactorũ, iudiciorum? quantæ tenebræ, si nulla esset annorum, ac mensium

 distin-

diſtinctio? quanta denique in hiſtoriis caligo eſſet, ſublata annorum enumeratione? Non enim mundi initium cogitari, non exordia religionum diſcerni, non mutationes imperiorũ diſtingui poſſent. Eam ob rem ſatis mirari nequeo multorum cæcitatem, qui hãc doctrinam de cœleſtibus motibus, & anni deſcriptione apertè vilipendunt, dãnant, vituperant. Videmus enim laudatiſſimis viris (qui ſapientia, & pietate excelluerũt) magnæ curæ fuiſſe, vt annum quàm rectiſſimè deſcriberent, vt diſcerni tempora, & rerum memoria propagari, & conſeruari poſſet, vtq; tũ immobilium, tum mobilium feſtorum recta inſtitutio, & pleraque alia etiam ad Chriſtianam religionem pertinẽtia haberentur. Hoc opus laboremq́; noſtrum tibi in primis nuncupare venit in mẽtem, Vir & pietate, & ſanctitate ſpectatiſſime. præbebit enim argumentum veteris amicitiæ refricandæ. Et cùm longis interuallis locorum diſtemus, erit velut pignus mutuæ beneuolẽtię: quæ ſemper (vt ſpero) tam ardẽs fuit, & futura eſt inter nos abſentes, ac ſi præſentes eſſemus. interim Magnum illum & adorandum vniuerſi gregis Chriſtiani paſtorem precor, vt tibi religioſorum Paſtori omnia læta, ac proſpera largiatur. Vale Pariſiis. Calendis Septembris.

Procemium Libri Secundi.

QVoniam Sol diei,noctiſque author,omnium Aſtrorum ſplendidiſſimus eſt, de quo ſcribitur Eccleſiaſtici primo cap.Oritur Sol,& occidit,& ad locum ſuum reuertitur, ibíque renaſcens gyrat per Meridiem,& flectitur ad Aquilonẽ. De quo item Macrobius lib.2.Nihil aliud tẽpora efficit,niſi curſus Solis.Similiter Geneſis capite primo.Fecit Deus duo luminaria magna,luminare maius, vt præeſſet diei,& luminare minus, vt præeſſet nocti: poſuítque ea in ſigna,tempora,menſes,& annos.Hæcque duo clariſſima mundi lumina in rebus terrenis plurimum dominantur.Siquidem Luna inſtar Cõſulis,Sol inſtar maximi regis (vt ſcitiſſimè docet Galenus) exercet imperium.Ex quorum motibus pendet Calendarium,à Cyclo ſolari tanquàm digniori,& generaliori præſentis negocij ſumemus exordium.

Eccle.1 *Macrob* *Geneſ. c* *Gal. lib. diebus d toriis.*

De Cyclo Solari, Litera dominicali, atque anno biſſextili, Canon I.



Yclus ſolaris definitur eſſe ſpatium, ſiue menſura 28.annorum ſolarium,ſecundum 28 manſiones Solis,quas olim Aſtrolabij ſpectatores (vt ferunt) ſatis ſuperſtitioſè conſiderabant.Verùm ex illis ſuperſtitionbus (ſi ſuperſtitiones fuerint) Cyclus ſolaris nobis reſtat,quo literæ dominicales,feſta immobilia,Concurrentes,& annus biſſextilis cognoſcuntur.Cyclus autem à Græco vocabulo κύκλος,quod Latinè ſonat orbis ſiue circulus, deducitur. Vt ſi quid ab aliquo deſignato puncto tanquam initio,definito quodam tempore exire incipit,& pòſt definita quadam temporis intercapedine in id redit,& hoc modo ſuos exitus,& reditus cõtinuat, dicitur feciſſe cyclum .i. orbem,ſiue circulũ.Et dicitur ſolaris à ſole,non quòd ſol in eo temporis ſpatio ſuum curſum cõpleat,orbẽ Zodiaci, aut circulũ propriũ permeando.Sed ideo quòd 28,annis expletis oẽs mutationes quæ ex litera dominic.& biſſexto poſſunt accidere, ad ſua debita redeunt

Cyclus ſo

principia, in pristinamque formam immobilium festorum celebritates, dominicalesque literæ omnino similes redeunt, ac bissextus per omneis currit ferias. Ob id ergo cyclum hunc eo tempore absolui dicimus, quòd bissextus septies, & cum quauis litera dominicali semel ad vnguem reperiatur. Septenis vtique annis eædem prorsus redirent literæ, ni bissexti obstaret intercalatio. Hunc ergo solarem vocitant, quòd solari cursu festa immobilia regantur, non secus quàm lunari mobilia. Cycli huius partes sunt septem, feriarum elementa quater repetita, rursusque semel in annis bissextilibus. Transactis ergo tribus annis communibus sequitur bissextus. Hinc Cyclus solaris in annis quater septẽ circumuoluitur. Hîc aduerte quòd Romani ante Iulium Cæsarem non sunt vsi calendario quo nunc vtitur ecclesia. Cuius initium est, calendis Ianuarij. Quoniã autẽ in calendario Romano sunt dies 365, qui efficiunt 52 hebdomadas cum vno die, singulos 7 hebdomadæ dies primis abecedarij latini literis distinxit Iulius: Ita quòd in anno primo ab eodẽ instituto, primus dies cuiuslibet hebdomadæ repræsentabatur per A literam. In secundo per G. In tertio per F, & sic consequenter in literis retrogrediendo, quæ retrogressio contingit propter vnum diem qui vltra hebdomadas in calendario supercrescit. Similiter in anno bissextili propter incrementum duorum dierum, primus dies hebdomadæ repręsentatur per duas literas, per vnã scilicet ante punctũ intercalationis, & postea per alteram, vt paulopost clarius videbitur. Primus autem hebdomadæ dies vocatur à nobis dies dominicus, quoniam in eo Christus natus est, resurrexit, mundum fecit, & dona spiritussancti Apostolis misit. Et secundus, secunda feria. Et tertius, tertia feria, & sic deinceps. Apud Gentiles verò quales erant Romani temporibus Iulij Cæsaris, quilibet hebdomadæ dies nomen sortitus est ab aliquo 7. planetarum. Primus, à Sole. secundus, à Luna. tertins à Marte. quartus, à Mercurio. quintus à Ioue. sextus à Venere. & septimus à Saturno. Iulius ergo annum instituit ad cursum Solis. Hinc non mirum est si à Sole primum diem anni sui, & ita primum diem hebdomadæ primæ, reliquarumque hebdomadarum nominauit. Sunt igitur feriarum elementa, 7. a, b, c, d, e, f, g. Porrò aduerte ex ipsorum antiquorum traditionibus, quòd huiusmodi 7 literæ possunt esse dominicales: Imò lunares, etiam martiales, mercuriales, Iouiales, venereæ, & saturninæ. Sed illarum literarum vicissitudo est, quippe has dominicales vocitamus, nõ quòd plus dominicæ diei seruiant quàm alteri: sed dominicæ diei hunc honorem

impen-

impendimus,licet multò maiori ſit digna decore.Litera ergo dominicalis à dominico die appellatur.Dominicus autẽ dies,à domini,ac ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti reſurrectione à mortuis nomen deſumpſit. Et hic dies videtur propriè ad dominum pertinere,quoniam in eo die Chriſtus natus eſt, & reſurrexit.In hac die mũdus ſumpſit exordium,in hac die per reſurrectionem, & mors interitũ, & vita habuit initium.Nec ſolum dies Paſchæ pro die dominico colendus eſt,ſed etiã oẽs alij per anni circulũ occurrentes.Quod docetur de conſecratione Diſtin.3.Sabbato.Vbi habetur,diem dominicam ob venerabilem reſurrectionem domini noſtri Ieſu Chriſti nõ ſolum in Paſcha celebramus, verumetiam per ſingulas hebdomadas ipſius Dei imaginẽ frequentamus.Cùm enim Moſe teſte,ſex dierum ſpatio Deus omnia condidiſſet,ſeptimũ quietis ociiq́ue diem eſſe voluit:Hoc eſt,ſabbatũ ſeruari præcepit:Leuitici cap.16.Sabbatũ enim requietionis eſt.Et paulò pòſt 19.ca.Sabbata mea cuſtodite.Item cap.23.Sex diebus facietis opus,dies ſeptimus quia ſabbati requies eſt,vocabitur ſanctus: omne opus ſeruile non facietis in eo. Sabbatũ enim eſt in cunctis habitationibusveſtris.Nam ſabbatũ lingua Hebraica(vt Ioſephus ſcribit)requiẽ ſignificat,quòd ſeptimo die Deus quieuit mundo conſtructo.Ad idẽ Gregorius in regiſto ait, Dominico die à labore terreno ceſſandum eſt,atque omnino orationibus inſiſtendũ,vt ſi quid negligẽtiæ per ſex dies agitur,die reſurrectionis expietur.Porrò,literæ dominicalis annua mutatio ex duplici cauſſa enaſcitur. Prior annus Solaris communis 365.continet dies, quos ſi per 7.diuiſeris,videbis in quotiente 52.Hebdomadas,& diem vnum reſiduum.Cùm igitur feriarum elementa (vt dictũ eſt)ſunt 7.quibus crebra repetitione omnes cõpleantur,& numerẽtur Hebdomadæ,tandem vnus erit dies reſiduus,propter quem in calendario Romano A. litera in anni principio,& fine inſeritur.quare neceſſum erit anno cõpleto literam dominicalem variari.Inde etiã liquidò conſtat,eaſdem literas retrogradè numerari. Secũda huius mutatiõis cauſſa,ex anno biſſextili ſuboritur.Annus enim ſolaris Caij Iulij Cęſaris Dictatoris quem Romani ſunt ſecuti, 365. diebus naturalibus cum quadrante, Id eſt ſex horis conflatur, quæ annuatim collectæ in quarto anno diem vnum naturalem conſtituunt. Quam omnem rationem ſolo diſticho poëta ingenioſiſſimus lib.3.Faſtorũ. concluſit.Ita enim ait,

Is decies ſenos tercentum,& quinque diebus
Iungit,& è pleno tempora quarta die.

Ob id quarto quoque anno dies Biſſextilis,ſiue intercalaris eſt adiectus: Ita vt 3.primi anni 365 dies,quartus autem 366 cõplecteretur.Is 6 calen. Mart. in litera f.repetita intercalatur.i.interponitur.Et ex cõſequutione literæ do-


 minicalis

minicalis variatio. Distinctis itaque 365 dieb. per 7 dies hebdomadæ ad creatoris imitationem, 52 hebdomadæ in quotiente consurgunt, prosilient, ac reliquus erit dies vnus A. elemento signatus, quod dominicalem literam mutare sufficiet, quum ab eo annus (vt dictum est) incipiat, finiatq;. Ex prius dictis colligere licet Calendarium Rom. tot continere dies, quot sunt dies integri in anno solari, puta 365. Ne autem quadrans deesset, ordinatum est à Iulio vt quolibet quarto anno dies ex quadrantibus consurgens, vt dictum est, intercaletur, puta 6 calend. Mart. Sed de anni vsualis vario initio omissis antiquorum ritibus, nos quoq; Christiani vario initio vtimur. Nam Romani à natali Christi inchoant, alij à passione, alij à Paschate, alij ab seruatoris nostri incarnatione occipiũt. Nos verò cum Gallorũ philosophis (qui Druydæ cõmuni nomine appellantur) anni nostri initium à calen. Ianuar. semper sumimus. His peractis, si quadam methodo scire cupis, anno quopiam quotus sit annus numeri cycli solaris, inde quænam litera dominicalis currat, vulgata annorum Virginei partus supputatio (quam Diony. Abbas Rom. cognomẽto exiguus primus induxit) consideranda est. Primò igitur adde annis Christi domini oblatis 9, quia Diony. censet Christũ dominũ natũ anno 9 cycli solaris. quare sequenti anno 10. annũ decimũ cycli solaris indicarũt. & à dominica circuncisione collectũ numerũ per 28 diuidito, semper abiiciẽdo 28 quoties poteris (quia vltra 28 hic numerus nõ progreditur) & quicquid superauerit, cyclũ solarẽ anni propositi ostẽdet. Adde ergo annis Christi 9. & productũ numerũ per 28 diuidito, & quicquid superfuerit, cyclus solaris erit anni propositi. Dicas igitur ex 100 annis à dominica circũcisione, diuisione facta per 28, & 28 restare 16. Ex 400, 8, ex 1000. 20. Verùm ex 1400 ãnis nihil restat. & ex 1500 restãt 16, quibus addere oportet 9, & sic eodẽ anno remãserũt 25 anni, qui fuerũt numerus cycli solis. & ita partiẽdo, & semper 28 quoties poteris substrahendo, cõperies quòd anno Christi 1532 remãsit vnus qui fuit numerus cycli solaris, fuitq; annus bissextilis, cuius literæ dominicales fuerũt g f, vt numerus annorũ humanæ salutis in capite, siue in prima domũcula subsequẽtis circuli post crucẽ ad dextrã notatus clarè ostẽdit. Sũt enim g f in illo circulo primæ literæ iuxta crucis signũ ad dextrã suũ habẽtes locũ, Et g durauit tantũ à principio Ianuar. vsque ad festũ Mathię Apostoli. deinde f vsque ad finẽ eiusdẽ anni, à quo si dextrorsum pergas, occurrẽt 2 pro numero cycli solaris, cui subponitur e litera, quæ fuit debita dominicis diebus, anno prædictũ mox sequẽti, videlicet 1533. Sed anno 1539 numerus cycli solaris fuit 8, cui numero è directo dominicalis litera, quæ est e) respondet. Numeralis autem semper dextrorsum pergẽdo pro annis futuris, & pro præteritis sinistrorsum siue retrogradè. & ita sequens figura tum pro præteritis,

tum pro

tum pro futuris annis eſt perpetuò duratura. Quòd ſi anno Chriſti currente (quo hæc ipſa commentamur) 1540, ſcire volueris dominicalem literam, incipe numerare à primis literis g f, in prima ſede poſt crucem ſitis, quę debẽtur, vt diximus, anno 32, & perge donec venias ad annum 40, cuilibet anno ſeriatim literã aſſignãdo, & inuenies literas d c cõpetere anno Chriſti 40 ſupra 150, eritq; biſſextus. Pro quo aduerte quòd annus biſſextilis ſemp̱ accidit 4. quoq; anno. & ita duæ literæ ſub vno numero cycli ſolaris repertæ, ſemper annũ biſſextilem notãt. Prior, ſiue ſuperior litera, vim habebit à Ianuario vſq; ad feſtũ Mathiæ Apoſtoli, Reliqua ad finẽ anni vſq;. Inſuper in anno biſſextili litera f die Mathię Apoſtoli geminatur. Feſtũq́; ipſum Apoſt. vel priori, vel poſteriori die celebrabitur, prout diœceſis aliqua obſeruare conſueuit. Ex dictis clarè cõſtat, quòd inuento numero curſus cycli ſolaris per ſubiectã tabellã, litera dominicalis (quę dicto nũero annuatim è directo ſubponitur) dicto citius manifeſtabitur. Si vnica occurrat litera, annum eſſe communem intelliges. Si verò duplex, annum biſſextilem pronunciabis. Prior, id eſt ſuperior, aut quæ primò occurrit, vſque ad feſtum Diui Mathiæ Apoſtoli vtilis erit. Poſterior, id eſt inferior ad reſiduam anni partem accõmodabitur, id quod effigies ſubſcripta tibi apertius indicat.

Tabella ſolaris, ræ domi



Numeru norum c ſolaris, c teris do calibus.

METHODO NON DISSIMILI à priori,anno cycli Solaris cognito, literam dominicalem(vt ſequitur) facilè venari docet Canon II.

SEquens tabula non multum ſuperiori diſſimilis, primò in ſiniſtra parte numerum cycli ſolaris(qui ſeriatim currit ab.1.ad 28.)cõtinet.Inde anni biſſextiles quarto quoque anno contingentes ſeſe offerunt,quibus ſuccedunt ad dextram pergendo dominicales, ac omnium aliarum feriarum literæ,ſuis lineis,ac diebus notatæ.Nam è directo numeri cycli Solaris cuiuſcunque anni propoſiti,ſtatim habebis literam dominicalem eidem diei ſubiectam.Quare anno cycli ſolis cognito, dominicalem literam anni tui eidem numero ad dextram pergendo reſpondentem facilè dignoſces,quæ ſi vnica occurrat, annũ eſſe communem intelliges.Si duplex, tunc Biſſextus celebrabitur.Prior ſeruiet à Ianuario ad feſtum diui Mathiæ apoſtoli vſque.Poſterior reliquę parti anni aptabitur:Verbi loco, anno humanæ ſalutis 1532. numerus cycli Solaris erat vnus,in prima ſede huius tabulæ ad ſiniſtrã inſertus. Et ita eodem anno dominicales literæ fuerũt G.F,(Nam is annus fuit Biſſextus)in hac tabula primam ex dominicalibus literis habentes ſedem.Et G.durauit tantum vſque ad feſtum Mathiæ apoſtoli. Subinde F.vſque ad finem anni,à quo ſi ſeriatim deorſum pergas,occurret e litera,quæ fuit debita dominicis diebus anni,prædictum mox ſequentis, videlicet 1533.Et iterum ſequens litera occurret D.quę fuit debita anno 1534.ſicque deinceps perge donec ad numerum anni tui propoſiti perueneris,quoniam literæ, aut litera ſuper quam edirecto cadet tunc numerus cycli Solis,erit dominicalis.Quare anno præſente,(quo nos hæc ſcribimus) 1540.eſt Biſſextus,cui dominicis dieb⁹ alternatim duę ſeruiũt literæ,videlicet D.C. Scito autẽ ꝙ peractis & abſolutis 28.annis,ſiue vbi ab 1.ad 28.annos ordine peruentũ fuerit,rurſus ad principium,ſiue ad.1.cũ annis tunc currentibus erit redeundũ, quandoquidẽ hæc tabula(vt pręcedens)ſemper eſt duratura,donec ſacroſancta mater Eccleſia aliter prouiderit,quod in cauſſa erit,æquinoctij vernalis anticipatio.Numerum autem curſus cycli Solis pro voto a ſupputatione demes,aut diminues pro pręteritis, aut augebis pro futuris. Cætera per dictiones in fronte proximè ſequentis tabellæ adſcriptas, dicto citius diſcernes.

Numerus

Numerus cycli Solis.	Annus bissextilis.	Sabbati.	Dominica.	Lunæ.	Martis.	Mercurij.	Iouis.	Veneris.
1	G	e	f	g	a	b	c	d
2		d	e	f	g	a	b	c
3		c	d	e	f	g	a	b
4		b	c	d	e	f	g	a
5	B	g	a	b	c	d	e	f
6		f	g	a	b	c	d	e
7		e	f	g	a	b	c	d
8		d	e	f	g	a	b	c
9	D	b	c	d	e	f	g	a
10		a	b	c	d	e	f	g
11		g	a	b	c	d	e	f
12		f	g	a	b	c	d	e
13	F	d	e	f	g	a	b	c
14		c	d	e	f	g	a	b
15		b	c	d	e	f	g	a
16		a	b	c	d	e	f	g
17	A	f	g	a	b	c	d	e
18		e	f	g	a	b	c	d
19		d	e	f	g	a	b	c
20		c	d	e	f	g	a	b
21	C	a	b	c	d	e	f	g
22		g	a	b	c	d	e	f
23		f	g	a	b	c	d	e
24		e	f	g	a	b	c	d
25	E	c	d	e	f	g	a	b
26		b	c	d	e	f	g	a
27		a	b	c	d	e	f	g
28		g	a	b	c	d	e	f

Tertia literarum Dominicalium Tabella.

A	g	f	d	c	b	a	f	e	d	c	a	g	f
		e				g				b			
e	c	b	a	g	e	d	c	b	g	f	e	d	b
d				f				a				c	

Superior tabella etiam literam dominicalẽ ſingulis annis venari docet, hoc pacto, primam literam quæ eſt A. tribuas huic anno 1542. Sed anno mox ſequenti 1543. g. litera cõcedetur. Sicque deinceps pergas pro futuris, donec perueneris ad numerum anni cuius literam ſcire deſideras, quia litera ſuper quam cadit numerus illius anni, erit litera dominicalis. Pro præteritis autem ordine retrogrado eſt progrediendum. Et ſi vnica occurrerit litera, annum communem eſſe intelliges. Si duplex, biſſextilẽ, & tũc ſuperior (vt ſępius dictũ eſt) vſque ad feſtum Mathię apoſtoli deſeruiet. Inferior autem ad reliquam anni partem accommodabitur. Finitis autem, & abſolutis 28. annis redeundum eſt ad principium tabellæ cum annis tunc currentibus.

De *interuallo & concurrentibus.* *Canon* III.

INteruallum (vt præſenti negocio deſeruit) dicitur tempus quod numeratur à natali ſaluatoris noſtri ad dominicam in qua cantatur pro introitu miſſæ, Eſto mihi in Deũ protectorẽ &c. Illa enim eſt dominica quæ immediatè præcedit diem cinerũ. Et ita ſemp̱ duorũ annorũ pars eſt denoĩationẽ ſumẽs à poſteriori, quoniã in eo finẽ habet. A fine enim nũcupari oĩa, conſentaneũ eſt. Sũt itaq; interualli partes duæ, videlicet Cõcurrẽtes, & ſeptimanę: vnde cõcurrẽtes, ſiue dies ĩtercalares, ſunt dies anni prioris ſeptenario pauciores, qui ſeptimanis interualli ad numerãtur, illi ſcilicet q̃ ſunt inter natalẽ Chriſti, & Dominicã illã proximè ſequentem, etiam die natalitia computata, quos quidem accidere neceſſum eſt, quoties natalis Chriſti domini pręter diem Dominicum peragitur. Quocircà rectè præcipitur in anno Biſſextili, cùm duplex ſit litera dominicalis, hebdomadas integras per poſteriorem: Concurrentes verò per priorem quæri debere. Inuentis ergo quæ ſunt à Dominica die immediatè natalem Chriſti ſequente vſque ad Dominicam pinguẽ hebdomadibus, ſcitu dignũ eſt, quòd ſi a. Dominicalis litera fuerit, cõcurrens dies nullus cũ hebdomadibus prędictis eſt addendus, ſed integrę ſeptimanæ, Si b. dies vnᵘˢ prędictis hebdomadibus adiũgitur. Si c. duo. Si d. tres. Si e. quatuor. Si f. quinque. Si g. ſex, Vt planè docet ſubſequẽs tabella, verbi loco, Anno domini 1541 (proximè venturo) ſumus

habituri

habituri literam dominicalē B. ergo eodē anno vltra hebdomadas ſupradictas dies vnꝰ eſt addēdus. Sed anno ſubinde ſequēti (qui erit annꝰ 1542) litera dominicalis erit a. Et ita hebdomadis ſupradictis nullus dies celebratur, ſed integrę ſeptimanæ. Anno autem 1543. litera dominicalis erit g. ergo hebdomadis integris ſex dies addendi ſunt, qui concurrentes vocantur. Cætera apud te ipſum coniectabis. Notandum prætereà quòd à numero hebdomadarum ſupradictarum, duæ ſunt remouēdæ ſi ſeptuageſimā quęris, quæ eſt quādo pro introitu miſſæ cantatur, Circundederunt me &c. Sed hebdomadibus ſupradictis addēdæ ſunt ſeptē hebdomadæ, ſi ſacrū Paſcha celebrare volumꝰ. Sed Paſchatis numero quīq; adiūgemꝰ, dū Rogatiōes celebrabimꝰ, quibꝰ Rogationibus duas adiiciemꝰ ſi Pētecoſtē celebremus, vt poſteà clariꝰ videbitur.

Subiecta tabella pro interuallo peraccōmoda ſecundum vulgatum vſum Romanæ Eccleſiæ.

Aureus numerus.	0.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	concurrentes.
	a.	b.	c.	d.	e.	f.	g.	Literæ dominicales.
1	8	8	8	8	7	7	7	
2	6	6	6	6	6	6	6	
3	9	9	9	9	9	8	8	
4	8	7	7	7	7	7	7	
5	6	6	6	6	5	5	5	
6	9	9	8	8	8	8	8	Hebdomadæ interualli.
7	7	7	7	7	7	6	6	
8	10	10	10	9	9	9	9	
9	8	8	8	8	8	8	7	
10	7	7	6	6	6	6	6	
11	9	9	9	9	9	9	9	
12	8	8	8	7	7	7	7	
13	6	6	6	6	6	6	5	
14	9	9	9	9	8	8	8	
15	7	7	7	7	7	7	7	
16	6	6	6	5	5	5	5	
17	9	8	8	8	8	8	8	
18	7	7	7	7	6	6	6	
19	10	10	9	9	9	9	9	


De cyclo Lunari, siue aureo numero.
Canon. IIII.

lus de- ouenal.

CYclus Lunaris spatiũ 19.annorum solarium cõplectitur. Et hic à Ianuario habet initium, queadmodum litera dominicalis, annus solaris, & annus ab incarnatione domini in principio Ianuarij apud Latinos renouatur. Ex huius autem cursu, interuallum, ac festa mobilia (vt aiunt) haud secus quàm solari cursu, festa immobilia regũtur. Et aduerte quòd aureus numerus, Cyclus Lunaris aut decẽnouenalis idem. Et eius particulares numeri, scilicet 1.2.3.4.5.6. &c. dicuntur numeri, aut quotæ ipsius cycli decennouenalis. Reperimus Chaldęos Romanis hunc decennouenalem cyclum pro Lunationum initiis misisse, quem Calendario aureis numeris inscripserunt. Et eapropter hoc nomen numeri aurei sortitus est, eodémque à tempore sunt vsi. Anatholius eundem cyclum pro Paschæ inuentione præcipuè instituit, & ordinauit. Sed nostri recẽtiores superuacaneam, & inutilem esse dissertationem de aureo numero, quem modò plumbeum, modò explodendum, abiiciendum, atq; relegandũ autumant. Cõstat enim peritis in arte, aureum numerum in Calendario Romano positum (quòd sedem mutauerit) defectum non mediocrem in se continere, quem exactè corrigere non est facile. Insufficientia etiam Calendarij quo ad annum & menses, in hoc depræhenditur. Cùm enim annus cum Bissexto mensurare motũ Solis de pũcto dato æquinoctiali, vel solstitiali vsq; ad reditũ nõ possit, docuit experiẽtia per anticipationem solstitiorum, & æquinoctiorum in diebus mensium, annum solarem minorem esse quàm Iulius instituit, aliquot saltem horarum minutis. Ex qua re euenit vt non sit in ea Martij die hoc tempore æquinoctium vernale, quo erat tẽpore Felicis philosophi, Abracis, Ptolemæi, Alpetragij, Thebitis, aut aliorum antiquorum magistrorum probationum. Quantus autem hic error existat, cùm sit paruo tempore imperceptibilis, nec ex quibuscũque maximis etiam instrumentis punctalis veritas experimento infallibili haberi hucusque potuerit, & adhuc latet. Fateri ergo licet hũc cyclum decennouenalem, & eius numeros quos aureos vocitant, non integrè præstare id quod prisci sunt polliciti. Sunt tamen indices multarum rerum vtilium, quare non prorsus posthabendi. Insuper numerus, aut quotus cycli decennouenalis hodiernis tẽporibus hoc pacto addiscitur. Annis Christi domini oblatis iunge vnum, quoniam (vt Dionysio

nysio placet) Christ⁹ natus est anno primo cycli decẽnouenalis. Productũ itaq; numerum diuide per 19, & facta diuisione si quid residui fuerit, pro numero cycli decẽnouenalis teneto. Si nihil, cõplementũ totius cycli sumito. Si ergo scire desideras anno quopiã quotus sit annus cycli Lunaris, adde annis Virginei partus vnũ, & aggregatũ totũ per 19. diuidito, & quicquid excreuerit pro aureo numero teneto. Vbi autẽ 19. excreuerint, toties 19. abiicito (nam hic cyclus vltra 19. annos nõ se extẽdit, sed illinc ad vnitatẽ redit) & residuũ denuo Lunarẽ cyclũ ostendet. dicas igitur ex 100. annis diuisiõe facta per 19. & 19. restare 5. ex 1000. 12. Ex 1500. annis 18. Sed ex 1539. diuisione facta vt dictum est, nihil restat. Verũ quia annis ab incarnatione domini (veluti prędiximus) vnũ annũ adiũgere oportet, dicẽdũ est anno superiore videlicet 1539. vnũ restitisse, qui fuit numerns cycli Lunaris, quẽ numerũ aureũ vocitãt, in prima domũcula sequẽtis cycli iuxta crucẽ à dextris sedẽ habens. Hinc anno pręsente 1540. seriatim ad dextram progrediendo subsequuntur 2. qui sunt numerus aureus eiusdem anni. & sic deinceps ad annos futuros prosequere, donec ad annũ tuũ perueneris, ac finitis 19. annis redeundũ est iterũ ad principiũ, siue ad vnitatẽ, cũ annis tũc occurrentibus. Hinc subscribitur tabula quædam generalis his rebus pro tempore accommoda quæ tibi annos & futuros, & præteritos cycli Lunaris semper monstrabit, donec ad id alia cõstitutio ab Ecclesia fiat.

Tabella c[...] lunaris, siu[e] aurei num[...]



De indictione, siue cyclo indictionis. Canon V.

CYclus indictionalis, (qui vulgò indictio appellatur) quindecim annos solares, aut lustra tria cõtinet. Vnde indictio definitur esse spatium trium lustrorum. Lustrum autem quinque annos complectitur. Hic cyclus à Romanis cùm rerum potirẽtur, quondam vsurpatus: qui tribus lustris tributa à subiectis nationibus Romanæ rei publicæ soluenda indicebat. Sunt qui Augustum Cæsarem scribunt indictiones ante Christi aduentum primum instituisse, incipiente octauo calend. Octobr. hoc est 24 Septẽbr. Sunt & indictiones hoc præsertim tempore in vsu, cum primis apud publicos scribas & notarios. Indictiones ergo 15 annorum circuitu in sua semper vestigia reducuntur, quas etiam antiqua Rom. industria comperimus institutas ad cauendum errorem, qui de temporibus fortè oboriri poterat. Non desunt tamen ex ecclesiasticis scriptoribus, qui rem ita tradant: Romanos aiunt cùm non facilè ex longinquis regionibus possent nationes Romam venire ad tributa soluenda, statuisse, quòd singulis saltem lustris ea deferrent, & primo quidem lustro ferrum, secundo argentum, tertio aurum. & quoniã semper ab auro ad ferrum redibant, ideo indictiones 15 annorum constitutas, qui circulus quasi quidam esset. Si ergo indictionẽ qua ipsi Romani vtũtur scire desideras, annis Christi oblatis adde annos treis, quoniam Diony. in suo calculo Christum indictione tertia natum asserit. Et numerum collectũ per 15 diuidito, & quicquid restiterit, pro cyclo indictionis accipito. Quoties aũt huiusmodi numerus vltra 15 vnitates excreuerit, toties 15 auferes, & quicquid remanserit, pro cyclo indictionis habeto. Hoc enim argumẽto quota sit in quolibet anno indictio, cognoscere possumus. Quare hoc anno 1540 (si rectè diuiseris) huius cycli nos 13 habere cõperies. Anno verò sequẽti 1541, 14 accipito. Itaq; anno 1542, 15. Ergo is numerus videlicet 15, erit indictio. Quapropter anno Domini. 1543 renouabitur indictio, eritq; redeundũ ad vnitatẽ. Annoque 1544, 2 indictionẽ faciẽt. Et sic cõsequẽter. Hoc quidẽ disticho tota hęc ratio breuissimè continetur.

Si tribus adiunctis domini diuiseris annos,
Ter tibi per quinos indictio certa patebit.

Aliter aũt, & facilius rẽ totã capies, hac via. Addas annis Christi 3, & totũ aggregatũ per 15 diuidito, & restãtes anni indictionem mõstrabũt. Si aũt ad plures, vel pauciores annos requiras, adde, vel substrahe ex figura

sequen-

sequẽti prout in aliis edoctũ fuit. Huius cycli partes hodie literis pontificũ, publicorũ scribarũ, Notariorũ, Tabellionũ instrumẽtis, & aliis id genus ad caudã inserũtur. Ex dictis collige, quòd hæc indictio 15. annorũ circuitu in sua semper vestigia reducitur. Indictio autem incipit singulis annis ab octauo Calendas Octobris, hoc est 24. Septembris. & eodẽ die terminatur, dum Sol decimumquartũ gradũ libræ ingreditur.

Tabella indictionis.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. *Cyclus indictionis.*

De anno, & partibus eius Canon VI.

Astronomi mensurare solent res successiuas, & maximè tẽpus, sex mensuris, quæ sunt annus, mẽsis, hebdomada, dies, quadrans, hora, minutũ. Annus vertens, siue annus noster (autore Cẽsorino) est dũ Sol percurrẽs 12. signa, eodem vnde profect⁹ est redit. vnde apud antiquos solet depingi serpens propriam caudã deuorans. Hoc quidẽ tempus quot dierum esset, ad certũ nõdum Astrologi reperire potuerunt, multa licet multi cõmenti sint. Claudius Galenus medicorum antesignanus credidit annũ cõstare diebus 365. & particula quadã quæ quadrante maior sit. Sed annus (vt nonnulli docẽt Astronomi) trecẽtos sexaginta quinque dies naturales, & sex horas cum aliquot minutis cõtinet. Hebdomadas duas & quinquaginta, & diem vnum: quæ omnia Iulius Cæsar Astronomiæ peritus in 12. menses, sicut 12. sunt signa in zodiaco distribuit: qui sunt Ianuarius, Februarius, Martius, Aprilis &c. Inter quos Ianuarius, Martius, Maius, Iulius, Augustus, October, & December, dies singulos, & tricenos habẽt. Aprilis verò, Iunius, Septẽber, Nouẽber, tãtũ tricenos. Solus Februari⁹ duodetriginta: nisi quãdo bissextus celebratur. Nã tunc 29, diebus cõstituitur. Vnus etenim dies inter diem Petri, & Mathiæ apostoli additur. Et est Bissextus, dies vnus ex horis in anno superfluis, quarto quoq; anno collectus. Accidit enim annus bissextilis toties, quoties anni à Dominica incarnatiõe in 4. partes æquales secari possunt. Et dicitur Bissextus, quoniã sexta dies Martium præcedens bis computatur, & celebratur: vt clarè docent sequentes versus.

Trignta Aprilis, Iunij, septémque, nouémque,
Vno plus alij, uiginti Februus octo.
At si bissextus fuerit, superadditur unus,
Et tunc bis sexto Marti conscribe Calendas.

Hęc oĩa in figura sequẽti etiã luce clarius patebũt, quib⁹ subdũtur ferię

 ad primum

ad primum diem cuiusuis mẽsis, siue literæ per quas ipsi menses incipere habent, aut mensem aliquem in Calendario ingredimur. Inchoamus aut incipimus, cum numero dierum, quos quisq, mẽsis cõtinet. Præterea, succedũt ordine triplices numeri à Roma. magno habiti honore, in quos cuiuslibet mensis dies distinguuntut, In Calendas scilicet, nonas, & idus: Ita vt primi singulorum mensium dies Calendæ eiusdem mensis nuncupentur, sequentibus quaternis, aut senis quãdoque diebus, qui dicuntur Nonę. Item, quilibet mensis 8. idus complectitur. Dies autem reliqui omnes Calendæ numeratæ vocantur, numeris tam earum quàm præcedentium appellationum continuè decrescentibus. Cũ enim barbarorum dies numero crescunt, nostra cõputatione diminuũtur. Quãuis autem Calendæ initiales, nonæ item, atque idus, à mẽse in quo scribuntur denominationem sumant: Calendæ tamen numeratæ ad sequẽtem referuntur mẽsem, & ab ipso denominantur. Quot verò dies, quot nonas, & idus quilibet mensis habeat, inconditos hos versus pro canone adscribam.

nsis cu= |s por= ies tres, ẽdæ, no & idus.

Ter denos September habet, totidémque Nouember,
Iulius Aprilis, reliquis superadditur unus.
Sit nisi Bissextus, uicenos Februus octo.
Prima dies mensis cuiusque est dicta Calendæ.
Sex Maius nonas: October, Iulius, & Mars,
Quatuor at reliqui, tenet idus quilibet octo.
Inde dies alios omnes dic esse Calendas,
Quas retro numerans dices à mense sequenti.

Non ergo te lateat cuiuslibet mensis Calendas esse in mense præcedẽti, ac nominandas esse, siue computandas ordine præpostero. Similiter nonæ, & idus præpostera serie computãtur. Ex dictis inferre par est, primo quoque die mensis dicendum Calendis: Quinto, nonis: Decimo tertio, idibus, vbi nonæ 4. Vbi verò 6. septimo, nonis. Decimo quinto, idibus in casu sexto. Reliquis autem diebus, pridie, tertio, quarto, Calendas, aut nonas, aut idus, in casu quarto retrorsum numerando vsque ad eum diem, quo aut Calendis, aut nonis, aut idibus dicimus, quæ omnia, (si quis nondum peritus fuerit Calendarũ, Nouarũ, aut iduum) in nostro subsequenti Calendario etiã luce clarius patebũt. Calendę dicuntur ἀπὸ τοῦ καλεῖν, id est vocare. Pontifex enim calata, vel vocata in Capitolium plebe, quot dies à Calẽdis ad nonas superessent pronunciabat. Porrò, cũ Græci Calendis carerent, Augustus Cęsar cũ mutuum

nunquam

nūquā reddituros significare vellet, ad Calēdas Græcas soluturos dicere solitus erat, vt tradit Suetonius. Id quod & pòst ad alia prouerbij loco vsurpatum est. Sed non modò à Romanis Calendę colebantur, sed & Numeniæ à Græcis, & Hebræis, vt Isidorus obseruat.

Nonæ verò dicuntur, quia ab his ad idus dies semper nouem sint.

Idus, quòd nonas à Calendis diuidant. Iduare hetruscum vocabulum, diuidere est. Is enim dies mensem diuidere videtur.

Menses anni Romani.

Nomina & ordo 12. mēsium anni.	Per quā literā quilibet mensis incipit.	Numerus dierū mēsium.	Numerus nonarum.	Numerus iduum.	Numerus calēdarum.
Ianuarius.	a	31	4	8	19
Februarius.	d	28	4	8	16
Martius.	d	31	6	8	17
Aprilis.	g	30	4	8	18
Maius.	b	31	6	8	17
Iunius.	e	30	4	8	18
Iulius.	g	31	6	8	17
Augustus.	c	31	4	8	19
September.	f	30	4	8	18
October.	a	31	6	8	18
Nouember.	d	30	4	8	18
December.	f	31	4	8	19

De cyclo Clauium communium.
Canon VII.

CYclus Clauium communium, decem & nouem annis solarib⁹, queadmodũ cyclus decennouenalis absoluitur, ac cõpletur. Pro cuius cognitione, duo sunt imprimis animaduertẽda, aure⁹ numerus scilicet anni currẽtis, & locus clauiũ cũ earundem numero. Numerus clauium communis quotãnis hac formula inuestigatur. Cũ vnitas, aureus numerus fuerit, clauis eiusdem anni colligitur, ex 19. annis cycli decẽnouenalis, & 7. diebus hebdomadæ. Eã ob rem, numer⁹ primæ clauis est 26. Claues autẽ sequẽtes, reliquorúmve annorũ extrahũtur & formãtur per additionẽ 19. Adde igitur claui præcedẽtis anni 19. & summa inde proueniens erit clauis sequentis anni. Quòd si summa in 40, aut vltrà creuerit, reiice 30. & residuum clauem cõmunẽ optati anni demonstrabit, verbi gratia. Offertur mihi annus quispiam, cuius numerus aureus est 2. vt est præsens annus 1540. Nam eius aureus numerus est 2. Volo experiri eiusdem anni clauem communẽ. Addo claui præcedentis anni scilicet 26. 19. & colligo 45. Remoueo 30. & remanent 15. claui anni obiecti. item, offertur mihi annus cuius aureus numerus est 3, vt erit annus sequens, videlicet 1541. & petitur eius clauis cõmunis, redeo ad annum illum præcedentem, cuius clauis fuit 15. iungo eidem 19. & suscito 34. quæ sunt clauis anni oblati. Nec dissimiliter reliquorum annorum claues excerpes. Harum rerum sequentem sume formulam, cuius duo sunt ordines. in priori qui est ad sinistram, aureus numerus iacet. In altero clauis eidem conueniens edirecto exponitur. Loca autem clauium, his signantur versibus.

In iano prima, supremáque Marte secunda,
Aprilis terna sex monstrat & ultima claues.

Festa igitur mobilia habita claue anni currẽtis cũ loco clauis, hoc modo vẽnaberis: Animaduerte quot vnitates sunt in claue anni currentis. Deinde tot dies numera deorsum descẽdẽdo à loco cuiuslibet clauis inclusiue in Calẽdario subsequẽti notatæ. Vbi autẽ numer⁹ ille terminatur, ibi dominica proxima sequẽti tale festũ peragetur. Est enim documentũ tenẽdũ, quòd terminus & festũ nunquã simul fiũt, vnde habẽtur versiculi. Terminus & festũ nũquã celebrãtur ibidẽ. Lux teneat domini post ternum proxima festũ: vnde termin⁹ dies est clauẽ finiẽs, festũ mobile futurũ in die Dominica proxima annuatim designãs. In anno tamẽ bissextili, si Septuagesimã, aut Quadragesimã queris, claui adde vnitatem.

tem.Et si quadragesima iuxta talẽ supputationem in 24.die Februarij, vel post inuẽta fuerit,ipsa per vnũ diem retracta,erit peragẽda.Cognita igitur claue anni currentis, recurrito ad claues festorũ mobilium in Calẽdario paulò post sequẽti,scilicet in mẽsibus Ianuarij,Martij, & Aprilis super literas g.adnotatas. Ex dictis collige huiusmodi numeros qui claues dicũtur inuẽtos esse,vt 5.festorũ mobilium sedes habeãtur. Vnde clauis est numer⁹ in vnoquoq; annorũ cycli decẽnouenalis diuersus,festorũ mobiliũ certitudinẽ per terminũ ostendens.Nam sicuti per claues fit introitus in domũ, ita per numeros istos in noticiam festorũ mobilium.Cum igitur in cyclo decennouenali sint 19.anni,vnusquisque suam habebit clauẽ,veluti in figura cycli decẽnouenalis subiicitur.

Tabella clauium communium.

Aureus numerus.	Clauis festorum mobilium.
1	26
2	15
3	34
4	23
5	12
6	31
7	20
8	39
9	28
10	17
11	36
12	25
13	14
14	33
15	22
16	11
17	30
18	19
19	38

Tabella clauium communium.

De Festo Paschæ, cæterisque festis mobilibus. Canon VIII.

MAxima cura, summoque studio nobis connitendum est, vt pietatem illam priscorum, qui fidei ianuam nobis aperuerunt, proximè sequamur, & illorum exemplo celebritatem, dignitatem, ac nobilitatem sacratissimi festi Paschæ (quod Solis, ac lunæ cursum consequitur) ritè, iustè, ac definito tempore obseruemus. Est sanè hoc tempore inter peritos non mediocris controuersia, qui status, & verus sit paschatis, aut passionis dominicæ dies. Cuius quidem exacta cognitio peritorum Astrologorum sententia adeo difficilis est, vt Sybillæ foliis implicatior videri possit. Nam quemadmodum leges humanę iuxta locorum differentias, mores hominum, & rerum conditiones mutantur, sic pascha quod è cœlo labitur. A quo cætera festa mobilia dependent, quãdoquidem summa religiõe tum Iudæi, tum Christiani cõtemplantur. Est enim sacrosanctum & illis, & nobis hoc vnum festũ. Illis quidem in figura, & vmbra, nobis autem in luce, & veritate. Eam ob rem statuerunt Romani Pontifices, & sacrorum conciliorum, synodorumque dogmata confirmant pascha domini, die illo quo dominus surrexit à mortuis, annuo circuitu celebrandum, quod quidem fieri non potuit citra aliquam mutationem, vnde festum mobile dicitur, imò etiam omnium festorum mobilium radix præcipua habetur. Pascha enim (quemadmodum cætera festa mobilia) semper debet celebrari die dominico. Sed cùm vna & eadem litera in calendario non semper denotet diem dominicum: non potuit pascha, nec cætera festa mobilia habere certum locum in calendario. Dicuntur autem mobilia festa quæ stabilem sedem, siue fixum locum in calendario Romano non habent. Nec semper sub eisdem calendis, aut eodem die mensis annuatim celebrãtur. vel sic, Festũ mobile est quod penes ascensum vel descensum lunationis celebratur, nullum sibi locum in calendario habens assignatũ. Nam festa mobilia ex lunationis discretione habẽtur. Numerantur autem quinque, Septuagesima, Quadragesima, Pascha, Rogationes, & Pẽtecoste, quibus adduntur (vt quidam volunt) Ascensio Christi domini, Celebritas sacratissimi corporis Christi, & aduentus domini. Præterea hoc animaduertendum est quòd festa fixa & mobilia, hoc habent inter se discrimen. Fixa nanque nullum in se continent mysterium, aut sacramentum, sed significãt solũ rem eo die gestam. Mobilia autẽ festa (quæ

Lunæ

lunæ motum ſequuntur) vltra rem geſtam in ſe habent aliquod myſterium,aut arcanum,quandoquidem vltra rem geſtam,gerunt typum, ſiue figurã rei præteritæ,aut futurę,exempli gratia,Dies natiuitatis Chriſti domini nihil futurũ indicat,ſed dũtaxat ſignificat Chriſtũ eo die fuiſſe natum,ſcilicet 8 Calendas Ianuarij,vbi ſignatur b pro litera dominicali,fuitque dies ille,vt creditur dominicus. Nõ igitur celebratur ob ſacramentum. Paſcha verò vltra rem geſtam videlicet immolationem agni eo die factam,habet in ſe arcanum,& ſacramentum,quia fuit futuræ rei figura,nempe immolationis Chriſti in ara crucis pro redemptione,& ſalute humani generis,& rememoratiuum rei præteritæ, videlicet redemptionis filiorum Iſraël ab angelo Aegyptum deuaſtante. Nunc autem ſignum eſt memoratiuum reſurrectionis eiuſdem Chriſti ſaluatoris noſtri,id quod Paulus 1.ad Corint.5.teſtatur,cùm ait, Paſcha noſtrum immolat⁹ eſt Chriſtus. Eſt etiam paſcha noſtrum reſurrectionis noſtræ,& tranſitus de morte ad vitam ſignificatiuũ.Apoſtolus, mortuus eſt propter delicta noſtra,& reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.Paſcha enim Hebraicè phaſe dicitur,quod ſonat tranſitum domini.Quare & eo ipſo die ſacroſancta mater Eccleſia ad lætitiam nos inuitat,his verbis.Hic eſt dies quẽ fecit dominus,exultemus, & lætemur in eo.Verum vt huius ſalutaris ſolennitatis paſchalis ſedem ſecundum vulgatum vſum Romanæ eccleſiæ,quotannis facilè iuxta ſupputationẽ Dionyſiacam (hac enim Romana eccleſia hodie vtitur) cognoſcas,ingredere,vt dictum eſt,ſubſequens calendarium,& in Martio, ac Aprili iuxta ſanctorũ celebritates dextrorſum offendes aureos numeros paſchales literis grãdiuſculis paſſim inſertos.Illic inueſtiga aureũ numerũ anni tui,& ſub eo literam dominicalem, in anno quidem biſſextili per poſteriorem ſemper inueſtigabis.Ea litera dominicalis proximè ſubſequens eundem numerum currentem,paſcha Chriſtianum tibi oſtendet. A quo ſi ordine retrogrado in calendario ſex hebdomadas numeraueris,facile deducêris in dominicam quadrageſimæ. A qua ſi tres conſequenter computaueris,dominica Septuageſimæ tibi occurret. Memento tamen in anno biſſextili menſi Februario 29 dies tribuendos, & in poſterioribus eius diebus,vt negocium poſtulat,ad priorẽ literam dominicalem tranſeundum eſſe. Item, à dominica quadrageſimæ recenſe vnam hebdomadam,& habebis dominicam in qua eccleſia canit, Eſto mihi,&c.diem carniuori.A qua die integras hebdomadas numera pro interuallo.Concurrentes verò litera dominicalis.In anno tamen biſſex-

tili prior ſemper indicat,puta A.o.B 1.C 2.D 3. E 4.F 5.G 6. Verũ vt dies annuæ celebritatis Paſchalis prõptius dignoſcatur,altera via ſubſe quẽti quã ordinauimus,particulari tabula exactè ſupputata planè doceberis. quandoquidem litera dominicali in fronte eiuſdem tabulæ præcognita cum aureo numero anni currentis,aut alterius de quo quæris, In latere lęuo ſeriatim poſito. A quo deinde ſeriatim ad dextrã pergẽdo notantur ſedes,ſiue domunculæ cum dierum numeris Martij,& Aprilis ſub literis dominicalibus e directo reſpõdentibus, in quibus ſacrum Paſcha annuatim eſt ab omnibus Chriſticolis ritè celebrandum. Adhęc à die Paſchæ ſupputa conſequenter quinque hebdomadas, & offendes Dominicam Rogationum. Rurſus à Paſchate ad Aſcenſionem domini vtroque feſto incluſo 40.dies numerantur. Item, à die Rogationum, duas conſequenter ſupputa ſeptimanas, & Pentecoſten (quæ eſt quinquageſimus dies à Paſchate) inuenies. A quo ſequenti die dominico,feſtum indiuiduæ Trinitatis occurret. Et die Iouis proximè ſubſequenti feſtum ſacroſancti corporis Chriſti cadet. Vt igitur omnem vites errorem, ſubſequentem ſume formulam,quæ dicto citius(communem ſequendo vſum)te docebit quoto die Martij,aut Aprilis ſit perpetuò Paſcha celebrandum. Hîc aduerte quòd ſeptuageſima à 70.quaſi 70. dies continẽs. illud autem tempus recolit Eccleſia ad memoriam 70.annorum in quibus filij Iſrael fuerunt ſub ſeruitute Babilonica. Quadrageſima dicitur à 40. continet enim 40.dies. Et illud tempus recolit Eccleſia,quoniam Moſes tot diebus ieiunauit, cum acciperet legẽ domini. Elias etiam tot dies ieiunauit. Chriſtus etiam tot diebus ieiunauit,& cacodæmonis vicit tentationes. Et quia omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio,& nos tot diebus ieiunare debemus.

Paſchalis tabula perpetua.

Nuerus aureus.	Literæ dominicales. A	B	C	D	E	F	G
1	9 April.	10 Ap.	11 Ap.	12 Ap.	6 Ap.	7 Ap.	8 Ap.
2	26 Mart.	27 Mar.	28 Mar.	29 Mar.	30 Mar.	31 M.	1 Ap.
3	16 Ap.	17 Ap.	18 Ap.	19 Ap.	20 Ap.	14 Ap.	15 Ap.
4	9 Ap.	3 Ap.	4 Ap.	5 Ap.	6 Ap.	7 Ap.	8 Ap.
5	26 Mar,	27 Mar.	28 Mar.	29 Mar.	23 Mar.	24 M.	25 M.
6	16 Ap.	17 Ap.	11 Ap.	12 Ap.	13 Ap.	14 Ap.	15 Ap.
7	2 Ap.	3 Ap.	4 Ap.	5 Ap.	6 Ap.	31 M.	1 Ap.
8	23 Ap.	24 Ap.	25 Ap.	19 Ap.	29 Ap.	21 Ap.	22 Ap.
9	9 Ap.	10 Ap.	11 Ap.	12 Ap.	13 Ap.	14 Ap.	8 Ap.
10	2 Ap.	3 Ap.	28 Mar.	29 Mar.	30 Mar.	31 M.	1 Ap.
11	16 Ap.	17 Ap.	18 Ap.	19 Ap.	20 Ap.	21 Ap.	22 Ap.
12	9 Ap.	10 Ap.	11 Ap.	5 Ap.	6 Ap.	7 Ap.	8 Ap.
13	26 Mar.	27 Mar.	28 Mar.	29 Mar.	30 Mar.	31 M.	25 M.
14	16 Ap.	17 Ap.	18 Ap.	19 Ap.	13 Ap.	14 Ap.	15 Ap.
15	2 Ap.	3 Ap.	4 Ap.	5 Ap.	6 Ap.	7 Ap.	8 Ap.
16	26 Mar.	27 Mar.	28 Mar.	22 Mar.	23 Mar.	24 M.	25. M.
17	16 Ap.	10 Ap.	11 Ap.	12 Ap.	13 Ap.	14 Ap.	15 Ap.
18	2 Ap.	3 Ap.	4 Ap.	5 Ap.	30 Mar.	31 M.	1 Ap.
19	23 Ap.	24 Ap.	18 Ap.	19 Ap.	20 Ap.	21 Ap.	22 Ap.

De aduentu domini.

Canon IX.

Initi- tus d

DOminica dies, feſto beati Andreæ apoſtoli proximior aduentum domini celebrat, ſiue illa dies fuerit ante aut poſt feſtum ſancti Andreæ, quod celebratur 30. die menſis Nouembris. Et ſi illud feſtum die dominico occurrat, ibi celebratur aduentus domini. Si ergo huiuſmodi feſtum euenerit die Lunę, Martis, aut Mercurij, dominica ante dictũ feſtum Andreæ celebratur. Si verò die Iouis, aut veneris, aut Sabbati, dominica poſt dictum feſtum incipit aduentus domini. Et durat vſque ad natiuitatem eiuſdem, aliter ſic. Aduentus domini ſemper incipit Dominica poſt feſtum Lini, iuxta vulgarem verſiculum.

Aduentus domini ſequitur ſolennia Lini.

Feſtum ſancti Lini agitur 26. die Nouembris. Variatur autem aduentus domini ex diuerſitate literæ dominicalis in anno ſolari.

De ieiuniis festorum fixorum Canon X.

SEquetium festorum ecclesia Gallica ieiunia religiose & celebrat, & obseruat, scilicet ieiunium pridie natiuitatis beati Ioannis baptistæ, id est vicesima tertia Iunij. Item pridie sanctorum Petri, & Pauli apostolorum, id est antepenultima Iunij. Similiter, pridie sancti Laurentij, nona Augusti. Item pridie assumptionis beatæ Mariæ virginis, decimaquarta Augusti: Item pridie sancti Matthæi apostoli & euangelistę, scilicet vicesima Septembris. Item pridie Symonis, & Iudæ apostolorum, id est vicesimaseptima Octobris. Item, pridie omniũ sanctorũ. Item, pridie sancti Andreæ apostoli, id est penultima Nouẽbris. Item, pridie natalis domini nostri Iesu Christi, Luceque Marci.

De ieiuniis quatuor temporum anni Canon XI.

QVatuor sunt anni tempora, quibus Sol per diuersa cœli spatia discurrens temperat orbem, Ver, æstas, Autumnus, & hyems. vnde Plinius. Cardo tẽporum quadripartita anni distinctione constat. His vtique 4. anni temporibus nostra religio per summos pontifices trium dierum ieiunia instituit, quibus & ad sacros ordines prouehimur: Feria quarta id est die Mercurij, Feria sexta. i. die veneris, & Sabbato. Prima ieiuniorum quarta, fit post faces, quas alij vocitant brandones. Secunda Post missionem spiritussancti, id est Pentecosten. Tertia post crucem, id est festum exaltationis sanctę Crucis, quod celebratur die 14. Septembris. Et ita 4. sunt tempora anni solaris etiam ex mente philosophorum assignata. Quorum primũ est ver, quod fit progressu Solis sub Ariete, Tauro, & gemellis. Secundum tempus dicitur æstas, quod accidit motu Solis sub Cancro, Leone & Virgine. Tertium dicitur Autumnus, quod accidit Sole currente sub Libra, Scorpione, & Sagittario. Quartum tempus est hyems, quod fit meatu Solis sub Capricorno, Aquario, & Piscibus. Primum tempus, scilicet ver, oritur circiter decimum Martij, id est in æquinoctio verno. Secundum scilicet æstas, incipit circiter duodecimum Iunij, dum scilicet Sol Cancrum signum aggreditur. Tertium scilicet Autumnus, circiter decimumquartum Septembris. Quartum & vltimum, scilicet hyems circa tredecimum Decembris incipit. Sol quidem suo motu, has 4. differentias facit. Ex

cit.Ex dictis (etiam ad peritorum Astrologorum mẽtem) colligere licet 12.esse signa in zodiaco,per quę Sol in anno discurrit.Et illorũ tria semper vnam quartam partem anni constituere. Nam, Aries, Taurus, Gemelli(vt dictum est) ver constituunt.Cancer,Virgo, Leo, æstatem. Libra,Scorpio,Sagittarius,Autũnum.Capricornus, Aquarius, Pisces, hyemi adscribuntur.Pythagoras has 4.anni partes 4.hominum ætatibus comparabat.Ver pueritiæ,æstatem adolescentiæ.Autũnum iuuentuti,Hyemem senectuti vt Laertius scribit.Alij 4.cœli partibus adscribunt.Ver quippe Orienti datur,quia tunc ex terra omnia oriuntur, æstas meridiei,eo quod calore,æstúque pars ea sit flagrantior: Hyẽs Septentrioni,quòd frigoribus & perpetuo gelu torpeat.Autumnus occidenti,quòd graues morbos habeat.Vnde & folia ex plantis vt ait Isidorus defluunt:Et huiusmodi quatuor anni partes(vt diximꝰ)4.anni ieiunia retinent,quæ quidem quartis Feriis præscripta festa proximè sequentibus semper incipiunt, scilicet post diem exaltationis sanctę Crucis,Luciæ,Cinerum,& Pentecostes.Verùm si aliquod præscriptorũ festorum ceciderit in quartam Feriam, ieiunium ad subsequentis septimanę quartam Feriam protrahito.Et huiusmodi 4.temporum anni ieiunia sacrosancta mater ecclesia ad corporis macerationem, vitiorum repressionem, spiritus pertinacis expulsionem,diuinæ gratiæ implorationem ritè instituit,vtque ad dominum Deum in quauis dictarũ partium anni religiosius mentem extollamus.Ipsumque religiosius requiramus,colamus,ac veneremur.Primum quidem tempus obseruatur tẽpore verno,quoniam queadmodũ tũc omnia pullulare, germinare,virere,ac florere incipiunt,cunctáq; tunc ferè gignũtur,& nascendi claustra aperit natura,ita etiam virere,ac florere in nobis debent virtutum opera,supplantari vitia,libidinisque impetus(qui tunc fortes in omnibus animantibus commouentur)corporali ieiunio frangãtur, & dissipentur,virtutes augeantur.Secundum, tempore æstiuo, vt simus vere feruentes in charitate domini Dei,& proximi.Tertiũ, Autumnus obseruat,ut in nobis fructus bonorum operum abundè exuberent. Quartum,in hyemali tempore obseruatur.Nam sicuti folia ex arboribus tũc defluũt,decidunt,ac moriuntur herbæ nocentes, Ita in nobis vitia, ac mundanæ superfluitates marcescant, moriantur,ac defluant danda est opera,opitulante eo qui solus crimina potest debere,& virtutes animis nostris inserere.Præter hæc habemus dies quadragesimę(ad Christi ieiunantis imitationem)ieiuniis consecratos.Hieronymus.Nos quadra-

 gesimam

gesimam secundum traditionem Apostolorem ieiunamus. Matth.4. Cùm ieiunasset Iesus quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. 2. Corin. 6. In omnibus exhibeamus nos sicut dei ministros in multa patientia, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis. Porrò aduerte quòd in cultu diuino tria requirũtur, fides, spes, & charitas, in fide, quid credendum. In spe, quid sperandum. In charitate, quid sit amandũ. Cæterùm, quàm attente, quàm religiosè, quamque ex destinato deum summum comprecari addeceat, optimè omnium monstrasse Pythagoras videtur. Cùm veneris (inquit) in templum adora, neque aliquid interim, quod ad victum pertineat, aut dicas, aut agas.

De cultu festorum anni, & sanctorum veneratione, Canon XII.

EX sacrosanctæ matris ecclesiæ instituto dies festi in veneratione sanctorum quotannis celebrantur, & ipsi populo Christiano salubriter celebrandos indicit, vt festũ natiuitatis D. Ioannis Baptistæ, sanctorum apostolorum Petri, & Pauli, qui mundum sacris prædicationibus illuminarunt, cæterorumq; apostolorum, atque Euangelistarum. Nonnullorum etiam Martyrum, cõfessorum, atque virginum, quorum catalogus magna ex parte in nostro habetur calendario. Præterea, ex ecclesiastico decreto quotannis vnus est dies festus omnium sanctorum venerationi consecratus, & dedicatus, vtputa primus dies mensis nouembris, qui per totum orbem christianum in honorem sanctorum omnium cœlestis gloriæ incolarũ habetur celeberrimus. Nec quenquam latere debet (ex syncera theologorum sententia) nos gratũ obsequium domino deo præstare, cùm sanctos æternæ gloriæ ciues oramus, & eisdem honorem impendimus. omnia tamẽ in deum summum tanquàm in vltimum finem referentes. Nam & ipsi pro nostris necessitatibus, nostraque salute suis precibus sedulò deum exorãt. Et licet sancti non sint adorandi latria, quia soli deo debetur, sunt tamen dulia venerandi. Hic ergo mos celebrandi sanctorum festiuitates in ecclesia est introductus, non solum vt à Prophanis negociis abstineremus, sed etiã vt deorum cultui liberius vacaremus, vtque sancti amici dei ciues cœlestis gloriæ virtute, & meritis præclari à fidelibus corde, ore, & opere venerarentur. Quod Tibullus religiosè admonet.

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso uomere cesset opus.
Omnia sint operata Deo.

Verùm

Verũ hodie Christianorũ vulgus,ferias,siue dies festos olim ad pietatis vsum ritè institutos,in cõpotationes,in scorta,in aleas,in ludos,in rixas in pugnas,in blasphemias,& nonnunquã in homicidia miserè cõmutant.Huiusmodi etenim hominũ genus fugitãt laborẽ,& festos dies optãt,quò liceat ociari,vẽtriq; & voluptatibus indulgere. Nec vllo tẽpore(nefandũ)plus flagitiorũ cõmittitur,quã quo maximè conueniebat à flagitiis & abstinere, & abesse, quod in nostræ religionis perniciem vergere palã est,Sed omnia dij bene vortãt.Præter annumeratas ferias, aliæ nõ paucæ magna cũ veneratiõe per anni circulũ occurrũt celebrãdæ,videlicet dies dominic⁹ in omni septimana Deo cõsecrat⁹. Natalis Christi,Circũcisio,& Epiphania eiusdẽ.Natiuitas,Cõceptio, Annunciatio,Purificatio,& Assumptio intemeratæ Mariæ virginis. Item, sacrum Pascha,cæteráq; festa mobilia. Quibus adduntur inuẽtio sanctæ Crucis,dedicatio sancti Michaelis archãgeli,dedicatio cuiuscũq; oratorij.Et illæ festiuitates,quas singuli episcopi in suis Diœcesibus cũ populo collaudarint,& in deuotione habuerint,quę vicinis tãtum circõmorantibus (non generaliter omnibus) indicendæ sunt. Ad reliquarum festiuitatum cultum Christiani cogendi non sunt, nec prohibẽdi. Sanctorum ergo festa quando sunt celebranda,laicis est pronũciandũ. Et eadem colenda sunt pro Diœceseos cuiusque ritu.

Forma colendarum imaginum ex Concilio Nicæno.

Nam Deus est quod imago docet,sed non Deus ipsa,
Hanc uideas,sed mente colas quod cernis in ipsa.

Psal.150.

Omnis spiritus laudet dominum.

Matthæi.19.

Si vis ad vitam ingredi,serua mandata.

De 12.signis Zodiaci,& eorundem qualitatibus Canon XIII.

ZOdiacus,maior est circulus in Sphæra,in quo signa 12 animalium imaginibus designantur,habens in sua latitudine 12.gradus, quos linea ecliptica(quæ est via Solis)secundum Zodiaci longitudinem diuidit,vtrinq; scilicet à dextris,& à sinistris sex grad⁹ relinquẽs per quos diuersis modis sydera spaciantur. Sed hic circulus in longitudine sua trecentos sexaginta continet gradus secũdum cuiuslibet signi mensurã,quæ triginta est graduum.Signa autẽ Zodiaci sunt duodecim : quorum quodlibet treis facies habet, facies autem

quęlibet

quęlibet decem gradus. Et huiusmodi 12. signorum nomina, & ordo, duobus versiculis à Mancinello colliguntur.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libráque, Scorpius, arcitenens, caper, amphora, Pisces.


Primum igitur signum est Aries signorum princeps, quod Martio attribuitur. Secũdum signum est Taurus, quod Aprili attribuitur. Tertium signum faciunt Gemelli, quod Maio conceditur. Cancer, quartũ signũ, Iunio seruit. Leo, Iulio. Virgo, Augusto. Libra, Septembri. Scorpius, Octobri. Sagittarius, Nouembri. Capricornus Decembri. Aquarius, Ianuario. Pisces, Februario adscribitur. Et ita in quolibet mense dicitur sol intrare nouũ signum. Sed notiora sunt hæc, vel ex picturis, quàm hîc debeant explicari: Prætereà, sciendum est pro qualitate 12. signorum cognoscenda 4 esse elemẽta, seu principia omniũ rerum communia, scilicet ignem, qui est calidus & siccus. Terram, frigidam & siccam. Aquam frigidam & humidam. Et Aërem, qui est calidus & humidus. His ergo elementis tali ordine, igne, terra, aëre, aqua constitutis in summitatibus 4. digitorum, quodcunque signum computando cum elemento coinciderit signum, qualitates illius obtinebit: Verbi gratia, quæro proprietatem Arietis, & inuenio quòd cadit super summitatem indicis vbi est ignis. Vnde Aries est qualitatis ignis, scilicet calidus & sicc⁹. Similiter, petitur prosperitas virginis, & inuenitur quòd cadit sup summitatem medij, vbi est terra. Vnde, virgo est qualitatis terræ, scilicet frigida & sicca. Vlterius, si scire desideras an aliquod signum sit mobile, fixum, vel commune: ordina in tribus summitatibus trium digitorum has treis dictiones, Mobile, fixum. commune. Et quod signum cum dictione coinciderit, demonstrabit naturam, verbi gratia. Virgo computando, cadit vbi ly cõmune sedem habet. Vnde fit, vt Virgo commune sit signum. Cætera apud te ipsum facilè coniectabis. Hîc aduerte signa 12 partibus humani corpotis addito Lunæ meatu dominari, quia eorum potentia in his membris valde operatur, accedente etiam quadã nominis similitudine. Item, cauendum ne quis tangere audeat ferro membrum (scilicet vulnerãdo) alicui signo deputatum, dum Luna sub illo signo discurrit, quoniam Luna tunc facit, & auget in membris humores: Vt Aries respicit caput. Taurus collum. Gemelli, humeros, Brachia, manus. Cancer pectori, stomacho pulmoníque accommodatur. Leoni dorsum, ac latera subiacent. Virgo ad ventrem, ac intestina spectat. Libra, vmbilicum, Lumbos inferioráque ventris sortitur. Scorpio

partes

partes pudibũdas gubernat. Sagittario, crura, & coxæ adſcribũtur. Capricornus, genua, & poplites gubernat. Aquarius, ſuras, & tibias regit. Piſces, in tutelam pedes recipiunt. De quibus Manilius,


Iamque Aries capiti, Taurus ceruicibus hæret,
Brachia ſub Geminis cenſentur, pectora Cancro.
Te ſcapulæ Nemææ vocant, téque ilia Virgo,
Libra colit clunes, & Scorpius inguine gaudet.
Et femur Arcitenens, genua & Capricornus amauit,
Cruráque defendit iuuenis, veſtigia Piſces.
Sic erit humana ſignis deſcripta figura.

Sign[...] zodi[...] quæ [...] at ſol[...] ſitio.



	Nomina ſignorum Zodiaci, ordinatio, numerus & characteres.		Nomina mẽſium Romanorum.	Dies mẽſium in quibus Sol ſigna ſubingreditur.
1	Aries	♈	Martius.	10
2	Taurus	♉	Aprilis	10
3	Gemini	♊	Maius.	11
4	Cancer	♋	Iunius.	12
5	Leo	♌	Iulius.	13
6	Virgo	♍	Auguſtus.	14
7	Libra	♎	September.	13
8	Scorpius	♏	October.	14
9	Sagittarius	♐	Nouember.	13
10	Capricornus	♑	December.	12
11	Aquarius	♒	Ianuarius.	11
12	Piſces	♓	Februarius.	9

Triplicitas
- Ignea, Calida, & ſicca, ♈ ♌ ♐ Orientalis.
- Terrea, frigida, & ſicca, ♉ ♍ ♑ Meridionalis.
- Aërea, Calida, & humida, ♊ ♎ ♒ Occidentalis.
- Aquea, frigida, & humida, ♋ ♏ ♓ Septentrionalis.



Quatuor partium anni mutationes.

Sol in capite	Arietis	Ver	Aequinoctium	Vernale.
	Libræ	Autumnus		Autumnale.
	Cancri	Aeſtas	Solſtitium.	æſtiuale
	Capricorni	Hyems		hyemale

Quas humani corporis partes ſigna tueantur.

♈	♉	♊	♋	♌	♍
Caput.	Collum.	Humeros,	Pectus.	Dorſum.	Ventrem.
Faciem.	Ceruicem	Brachia	Stomachũ	Latera.	Viſcera.
	Guttur.	Manus.	Pulmonẽ.	Cor.	Ilia.
				Scapuas.	

♎	♏	♐	♑	♒	♓
Lumbos.	Inguina.	Coxas.	Genua.	Crura.	Pedes.
Vmbilicum.	Anum.	Femur.	Poplitem.	Tibias.	Talos.
Renes.	Penem.				
Veſicam.	Teſticulos.				
Clunes.					
Vertebras.					

Planetarum 7. ordo, Characteres, & nomina cum eorundem qualitatibus.

Superiores.	1	♄	Saturnus.	Frigidus & ſiccus.
	2	♃	Iupiter.	Calidus & humidus.
	3	♂	Mars.	Calidus & ſiccus.
Medius.	4	☉	Sol.	Calidus & ſiccus.
Inferiores.	5	♀	Venus.	Frigida & humida.
	6	☿	Mercurius.	Promiſcuus.
	7	☽	Luna.	Frigida & humida.

Syderum errantium colores.

Suus cuique color eſt, Saturno candidus, Ioui clarus, Marti igneus, Lucifero candens, Veſpero refulgens, Mercurio radians, Lunæ blandus, Soli cum oritur ardens, poſteà radians.

Dies artificialis.

Maxima.	Media.	Minima.
Caput cancri.	Caput arietis & Libræ.	Caput capricorni.
Minima.	Media.	Maxima.

Nox artificialis.

Dierum artificialium, noctiúmque longitudo, necnon tempus ortus & occaſus Solis. pro latitudine 48. graduum.

Ianuarius.									Februarius.							
es.	hor. diei.	M. diei	noct. hor.	M.	ho. ort. Sol.	M.	ho. occ. Sol.	M	hor. diei	mi. diei	hor. noc.	M. noc.	hor. Sol. ort.		ho. Sol. occ.	M.
	8	28	15	32	7	46	4	14	9	46	14	14	7	7	4	53
	8	28	15	32	7	46	4	14	9	56	14	4	7	2	4	58
	8	28	15	32	7	46	4	14	9	56	14	4	7	2	4	58
	8	34	15	26	7	43	4	17	9	56	14	4	7	2	4	58
	8	34	15	26	7	43	4	17	10	6	13	54	6	57	5	3
	8	34	15	26	7	43	4	17	10	6	13	54	6	57	5	3
	8	40	15	20	7	40	4	20	10	6	13	54	6	57	5	3
	8	40	15	20	7	40	4	20	10	16	13	44	6	52	5	8
	8	40	15	20	7	40	4	20	10	16	13	44	6	52	5	8
10	8	48	15	12	7	46	4	24	10	16	13	44	6	52	5	8
11	8	48	15	12	7	36	4	24	10	26	13	34	6	47	5	13
12	8	48	15	12	7	36	4	24	10	26	13	34	6	47	5	13
13	8	54	15	6	7	33	4	27	10	26	13	34	6	47	5	13
14	8	54	15	6	7	33	4	27	10	36	13	24	6	42	5	18
15	8	54	15	6	7	33	4	27	10	36	13	24	6	42	5	18
16	9	2	14	58	7	29	4	31	10	36	13	24	6	42	5	18
17	9	2	14	58	7	29	4	31	10	46	13	14	6	37	5	23
18	9	2	14	58	7	29	4	31	10	46	13	14	6	37	5	23
19	9	10	14	50	7	25	4	35	10	46	13	14	6	37	5	23
20	9	10	14	50	7	25	4	35	10	56	13	4	6	32	5	28
21	9	10	14	50	7	25	4	35	10	56	13	4	6	32	5	28
22	9	18	14	42	7	21	4	39	10	56	13	4	6	32	5	28
23	9	18	14	42	7	21	4	39	11	8	12	52	6	26	5	34
24	9	18	14	42	7	21	4	39	11	8	12	52	6	26	5	34
25	9	26	14	34	7	17	4	43	11	8	12	52	6	26	5	34
26	9	26	14	34	7	17	4	43	11	18	12	42	6	21	5	39
27	9	26	14	34	7	17	4	43	11	18	12	42	6	21	5	39
28	9	36	14	24	7	12	4	48	11	18	12	42	6	21	5	39
29	9	36	14	24	7	12	4	48								
30	9	36	14	24	7	12	4	48								
31	9	46	14	14	7	7	4	53								

Martius.									Aprilis.							
dies.	hor. diei.	M,	noc. hor.	M.	hor. ort. solis	M.	hor. occ. solis	M.	Ho. diei	M.	hor. noc.	M.	ort. Sol. hor.	M.	occ. Sol. hor.	M.
1	11	28	12	32	6	16	5	44	13	14	10	46	5	23	6	37
2	11	28	12	32	6	16	5	44	13	14	10	46	5	23	6	37
3	11	38	12	22	6	11	5	49	13	24	10	36	5	18	6	42
4	11	38	12	22	6	11	5	49	13	24	10	36	5	18	6	42
5	11	38	12	22	6	11	5	49	13	24	10	36	5	18	6	42
6	11	50	12	10	6	5	5	55	13	34	10	26	5	13	6	47
7	11	50	12	10	6	5	5	55	13	34	10	26	5	13	6	47
8	11	50	12	10	6	5	5	55	13	34	10	26	5	13	6	47
9	12	0	12	0	6	0	6	0	13	44	10	16	5	8	6	52
10	12	0	12	0	6	0	6	0	13	44	10	16	5	8	6	52
11	12	0	12	0	6	0	6	0	13	44	10	16	5	8	6	52
12	12	10	11	50	5	55	6	5	13	54	10	6	5	3	6	57
13	12	10	11	50	5	55	6	5	13	54	10	6	5	3	6	57
14	12	10	11	50	5	55	6	5	13	54	10	6	5	3	6	57
15	12	22	11	38	5	49	6	11	14	4	9	56	4	58	7	2
16	12	22	11	38	5	49	6	11	14	4	9	56	4	58	7	2
17	12	22	11	38	5	49	6	11	14	4	9	56	4	58	7	2
18	12	32	11	28	5	44	6	16	14	14	9	46	4	53	7	7
19	12	32	11	28	5	44	6	16	14	14	9	46	4	53	7	7
20	12	32	11	28	5	44	6	16	14	14	9	46	4	53	7	7
21	12	32	11	28	5	44	6	16	14	24	9	36	4	48	7	12
22	12	42	11	18	5	39	6	21	14	24	9	36	4	48	7	12
23	12	42	11	18	5	39	6	21	14	24	9	36	4	48	7	12
24	12	42	11	18	5	39	6	21	14	24	9	36	4	48	7	12
25	12	52	11	8	5	34	6	26	14	34	9	26	4	43	7	17
26	12	52	11	8	5	34	6	26	14	34	9	26	4	43	7	17
27	12	52	11	8	5	34	6	26	14	34	9	26	4	43	7	17
28	13	4	10	56	5	28	6	32	14	42	9	18	4	39	7	21
29	13	4	10	56	5	28	6	32	14	42	9	18	4	39	7	21
30	13	4	10	56	5	28	6	32	14	42	9	18	4	39	7	21
31	13	14	10	46	5	23	6	37								

	September.				ort.		occ.		October.				ort.		occ.	
Dies.	hor. diei	M.	hor. noc.	M.	Sol. hor.	M.	Sol. hor.	M.	hor. diei	M.	hor. noc.	M.	Sol. hor.	M.	Sol. hor.	M.
1	12	42	11	18	5	39	6	21	10	56	13	4	6	32	5	28
2	12	42	11	18	5	39	6	21	10	56	13	4	6	32	5	28
3	12	32	11	28	5	44	6	16	10	56	13	4	6	32	5	28
4	12	32	11	28	5	44	6	16	10	46	13	14	6	37	5	23
5	12	32	11	28	5	44	6	16	10	46	13	14	6	37	5	23
6	12	22	11	38	5	49	6	11	10	46	13	14	6	37	5	23
7	12	22	11	38	5	49	6	11	10	36	13	24	6	42	5	18
8	12	22	11	38	5	49	6	11	10	36	13	24	6	42	5	18
9	12	10	11	50	5	55	6	5	10	36	13	24	6	42	5	18
10	12	10	11	50	5	55	6	5	10	26	13	34	6	47	5	13
11	12	10	11	50	5	55	6	5	10	26	13	34	6	47	5	13
12	12	0	12	0	6	0	6	0	10	26	13	34	6	47	5	13
13	12	0	12	0	6	0	6	0	10	16	13	44	6	52	5	8
14	12	0	12	0	6	0	6	0	10	16	13	44	6	52	5	8
15	12	50	12	10	6	5	5	55	10	16	13	44	6	52	5	8
16	11	50	12	10	6	5	5	55	10	6	13	54	6	57	5	3
17	11	50	12	10	6	5	5	55	10	6	13	54	6	57	5	3
18	11	38	12	22	6	11	5	49	10	6	13	54	6	57	5	3
19	11	38	12	22	6	11	5	49	9	56	14	4	7	2	4	58
20	11	38	12	22	6	11	5	49	9	56	14	4	7	2	4	58
21	11	28	12	32	6	16	5	44	9	56	14	4	7	2	4	58
22	11	28	12	32	6	16	5	44	9	46	14	14	7	7	4	53
23	11	28	12	32	6	16	5	44	9	46	14	14	7	7	4	53
24	11	18	12	42	6	21	5	39	9	46	14	14	7	7	4	53
25	11	18	12	42	6	21	5	39	9	36	14	24	7	12	4	48
26	11	18	12	42	6	21	5	39	9	36	14	24	7	12	4	48
27	11	8	12	52	6	26	5	34	9	36	14	24	7	12	4	48
28	11	8	12	52	6	26	5	34	9	26	14	34	7	17	4	43
29	11	8	12	52	6	26	5	34	9	26	14	34	7	17	4	43
30	10	56	13	4	6	32	5	28	9	26	14	42	7	21	4	39
									9	18	14	42	7	21	4	39

Nouember.

Dies.	hor. diei	M.	hor. noc.	M.	ort. Sol. hor.	M.	occ. Sol. hor.	M.
1	9	18	14	42	7	21	4	39
2	9	10	14	50	7	25	4	35
3	9	10	14	50	7	25	4	35
4	9	10	14	50	7	25	4	35
5	9	2	14	58	7	29	4	31
6	9	2	14	58	7	29	4	31
7	9	2	14	58	7	29	4	31
8	8	54	15	6	7	33	4	27
9	8	54	15	6	7	33	4	27
10	8	54	15	6	7	33	4	27
11	8	48	15	12	7	36	4	24
12	8	48	15	12	7	36	4	24
13	8	48	15	12	7	36	4	24
14	8	40	15	20	7	40	4	20
15	8	40	15	20	7	40	4	20
16	8	40	15	20	7	40	4	20
17	8	34	15	26	7	43	4	17
18	8	34	15	26	7	43	4	17
19	8	34	15	26	7	43	4	17
20	8	28	15	32	7	46	4	14
21	8	28	15	32	7	46	4	14
22	8	28	15	32	7	46	4	14
23	8	24	15	36	7	48	4	12
24	8	24	15	36	7	48	4	12
25	8	24	15	36	7	48	4	12
26	8	20	15	40	7	50	4	10
27	8	20	15	40	7	50	4	10
28	8	20	15	40	7	50	4	10
29	8	16	15	44	7	52	4	8
30	8	16	15	44	7	52	4	8

December.

dies.	hor. diei	M.	hor. noc.	M.	ort. Sol. hor.	M.	occ. Sol. hor.	M.
1	8	16	15	44	7	52	4	8
2	8	12	15	48	7	54	4	6
3	8	12	15	48	7	54	4	6
4	8	12	15	48	7	54	4	6
5	8	10	15	50	7	55	4	5
6	8	10	15	50	7	55	4	5
7	8	10	15	50	7	55	4	5
8	8	8	15	52	7	56	4	4
9	8	8	15	52	7	56	4	4
10	8	8	15	52	7	56	4	4
11	8	8	15	52	7	56	4	4
12	8	8	15	52	7	56	4	4
13	8	8	15	52	7	56	4	4
14	8	8	15	52	7	56	4	4
15	8	8	15	52	7	56	4	4
16	8	8	15	52	7	56	4	4
17	8	10	15	50	7	55	4	5
18	8	10	15	50	7	55	4	5
19	8	12	15	48	7	54	4	6
20	8	12	15	48	7	54	4	6
21	8	12	15	48	7	54	4	6
22	8	16	15	44	7	52	4	8
23	8	16	15	44	7	52	4	8
24	8	16	15	44	7	52	4	8
25	8	20	15	40	7	50	4	10
26	8	20	15	40	7	50	4	10
27	8	20	15	40	7	50	4	10
28	8	24	15	36	7	48	4	12
29	8	24	15	36	7	48	4	12
30	8	24	15	36	7	48	4	12
31	8	28	15	32	7	46	4	14

De numero, ſitu, ordine, & motu ſphærarum. Canon XIIII.

ERrones qui planetæ, id eſt ſtellæ erraticæ dicũtur, numero ſunt 7. In quos Mathematici ipſi, & Chaldæi vniuerſam hoĩm ætatẽ referunt, vt quæcunq; in vita agantur, ea quidem ſtatis, certiſque tẽporibus planetæ ipſi propemodum efficiunt. Sanè nec illud nos ignorare oportet, planetarum, hoc eſt vagarum ſtellarum circuitus, cùm ſcilicet certo loco in eundem locum redeunt, annum ſuum efficere. Et horum planetarum quilibet vnum orbem occupat. Vt Luna, primum, infimum, & proximiorem nobis, quæ in 28. diebus, & 8. horis Zodiacum peragrat. Mercurius altior, eſt in ſecundo orbe, qui in trecentis, & ferè triginta diebus ſigniferum circuit. Venus in tertio orbe totidem ſpatio atque Mercurius mouetur. Sol, tanquam rex aliorum planetarum in quarto orbe eſt, tres ſub ſe & totidem ſuper ſe habens planetas, cuius motus regulariſſimus eſt nũquam retrogradus, & quo omnes alij motus regulantur, quem quidem motum peragit (vt aiunt quidã Aſtrologi) in ter centum ſexaginta quinque diebus, & ſex horis cum aliquot fragmentis. Mars eſt in quinto orbe, & in duobus annis ſolaribus voluitur ſub Zodiaco. Iupiter eſt in ſexto, qui ſub ſignifero circuitum ſuum ſpatio 12. annorum abſoluit. Saturnus eſt in ſeptimo, & in triginta annis ſolaribus ſuum curſum perficit. Sequitur octauus orbis, quod firmamentum, aut cœlum ſtellatum rectè appellamus, in quo innumeræ ſunt ſtellæ, quarum minor viſu notabilis (vt inquit Alphraganus) maior eſt tota terra. Et ſuper hunc orbem eſt nonus orbis, ſiue ſecundum mobile, quod à nonnullis cœlum Cryſtallinum, ſiue aqueum appellatur. Decimum cœlum primum, aut ſupremum mobile vocatur, quod motu vnico, ſimpliciſſimo, atque regulariſſimo mouetur. & in ſpatio diei naturalis motum ſuum circa terram complet ab oriente in occidentem, omneis inferiores orbes ſecum rapiens. Et ſuper hoc extat cœlum Empyreum ſupremum, immobile manens, omnium capaciſſimum, vbi eſt palatium domini Dei altiſſimi, & locus omnium electorum, cuius dignos nos efficiat Deus omnium miſertus per vnicum filium ſuum, cui honor, gloria, & imperium per infinita ſeculorum ſecula.

Nomina

Nomina 7. planetarum, Sphærarúmque æthereæ regionis ordinatio in ſubſcripta figu=ra clareſcunt.



Temporis partes ſcrutari.

Canon

TEmpus omne, ſeculis,annis,menſibus , hebdomadibus , diebus, quadrantibus , horis, punctis,momentis,vnciis , Atomis à nonnullis diuiditur.

Seculum(vt Varro ſcripſit)ſpatium eſt centum annorum.

Annus Solis conſtat ex diebus ter centum ſexaginta quinque , & diei parte circiter quarta.Vel,eſt ſpatium quo ſol ſigniferum ambit. Vnde Cenſorinus.

Annus vertens eſt, dum Sol percurrens duodecim ſigna , eodem vnde profectus eſt redit.Hoc quidem tempus quot dierum eſſet , ad certum nondum Aſtrologi reperire potuerunt,multa licet multi cõmenti ſint. Claudius Galenus credidit annum conſtare diebus 365. & particula quadam quæ quadrante maior ſit.

Menſis, in hebdomadas 4.

Hebdomada,in dies 7.

Dies,in quadrantes 4.

Quadrans,in ſex horas diuiditur.

Porrò,hora,in 4.puncta.

Punctum in 10.momenta.

Momentum, in vncias 12.

Vncia,in 47.atomos.

Atomus verò vt vox ipſa indicat,diuidi,ac ſecari in partes non poteſt.

Minutis nunc quidam 60.Aſtrologi dicunt horam conſtare.

Alij tempus ita diſtingunt,momentum,hora,dies, menſis, annus, ſeculum,ætáſque.

Momentum , eſt minimum atque anguſtiſſimum tempus à motu ſyderum dictum.

Sed Aſtronomi menſurare ſolent res ſucceſſiuas,& maximè tempus,ſex menſuris,quæ ſunt, annus,menſis, hebdomada , dies, Quadrans,hora, minutum.

Alij tempus omne diuidunt in annos,menſes,hebdomadas,dies,& horas.Et huiuſmodi temporis partibus omnes penè nationes vtuntur.

Prætereà , menſes in tres partes diuidunt,in Calendas, Nonas & idus.

Hebdomada,à numero ſeptem dierum dicta eſt,cuius primus dies dominicus vel Solis conſtituitur.Inde Lunæ,inde Martis &c.

Nam

Nam dierum nomina(vt credũt philoſophi gentiles)extracta ſunt à 7. ſtellis vagis, hoc eſt à Planetis:quorum repetitione & menſes, & anni, & ſecula peraguntur. Primam itaque diem Solis, Deinde Lunæ, tum Martis,poſt Mercurij,Inde Iouis,Mox Veneris : Demum Saturni conſtituerunt.Idque ea ratione factum quidam arbitrantur, quod ſcilicet à Sole ſpiritum gentes ſe haurire putabant. A Luna verò corpus ſumere. A Marte feruorem,vt Bedas de rerũ Nat.ſcribit. A Mercurio verba, & ſapientiam.Ab Ioue temperantiam.voluptatem à Venere. Perſeuerantiam ac tarditatem à Saturno.

Dies, in naturalem,& artificialem à recentioribus diuiditur.

Dies artificialis,ſpatium eſt ab ortu Solis ad eius occaſum.Vnde artificialis dies,eſt Sol lucens ſuper terram.

Dies naturalis ſecundum diuerſos,diuerſa habet principia.Nox autem eſt vmbra terræ.

Dies naturalis,tẽpus eſt 24.horarũ. Vnde Gene.1. Factũ eſt veſpere & mane dies vnus,ſcilicet naturalis.Cuius initiũ Aſtrologi à meridie ſumũt. Iudæi,ab occaſu Solis ad alterũ occaſum accipiũt. Græci,à Solis exortu.Roma.& nos, à media nocte incipiunt: & ſequentis noctis media parte finitur:quoniam legitur quod dominus natus fuerit in medio noctis diei dominicæ.

Dies ergo naturalis diuiditur in diem artificialem,& noctẽ.Cuius nox apud Romanos per diem interrumpitur. Medietas enim noctis eorum diem præcedit,& altera medietas diem ſequitur.

Menſis naturalis duplex eſt,ſcilicet menſis Solis,& menſis Lunæ.

Menſis Solis,eſt tempus quo Sol duodecimam cœli partem luſtrat.Vel ſpatium eſt temporis,quandiu Sol moratur in ſigno peragendo . Vnde philoſophus,Sol vnum duodecim ſignorum integro menſe metitur.

Menſis Lunæ, eſt ſpatium inter duos Solis Lunæque coitus. Vel quo Luna tredecim ferè ſigna percurrit.

Menſis cuiuſque portiones ſeu dierum formæ tres ſunt,Calẽdæ, nonæ, idus.Habent autem nonas ſex,mẽſes 4.Martius,Maius,Iulius,& October.Reliqui 4.tantum.idus autem ſinguli quique menſes habẽt 8. Reliqui omnes menſis dies Calendæ dicuntur.

De horis temporalibus, alternoque dominio ſeptem planetarum, Canon.

SEptem ſtellis qui planetæ vocantur, dies aſſignari receptum eſt, Inuentum quidem putatur Aegyptiorum, qui temporales horas ſuis negociis peragendis, abſoluendiſque nimis curioſè aptarunt. quos tamen non pauci inſignes Philoſopbi, Aſtrolabij interpretes ſunt ſecuti. Diem enim quencunque, ſimul ac noctem, in duodenas partes æquas fregerunt, quas planetarum horas appellabant, & eorum gubernamento dicauerunt. Denominabant itaque dies hebdomadæ à planeta, qui prima huius diei hora dominatum habet, vt diem ſabbati à Saturno omnium ſummo, Dominicum à Sole: ſecundam feriam à Luna, tertiã à Marte: quartam à Mercurio. quintam à Ioue, & ſextã à Venere. Has ſeptenorum dierum nominationes ex verſibus ſequentibus facilè colliges,

Prima dies Phœbi ſacrato nomine fulget.
Vendicat & lucens feriam ſibi Luna ſecundam,
Inde dies rutilat iam tertia Martis honore.
Mercurius quartam ſplendentem poſſidet altam.
Iuppiter ecce ſequens quintam ſibi iure dicauit.
Concordat Veneri magno cum nomine ſexta.
Emicat alma dies Saturno ſeptima ſummo.

Dierum autem numerus, Primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus, ſextus, ſeptimus à Deo eſt appellatus. Porrò diuidere hebdomadas per ferias vt chriſtiana vſa eſt Eccleſia, Nicephorus in quapiam oratione, & poſt eum Politianus, Conſtantinum magnum Imperatorem inſtituiſſe prodiderunt. Bedas verò vir multæ lectionis ac diligentiæ, id Sylueſtro Pontifici Romano attribuit: quem ideo ferias ait ad gentilium feriarum ſimilitudinem. Nam cùm feriis minus liceret ſeruilia opera exercere: ſic chriſtianis vni deo immortali vacare, & ab opere peccati quieſcere. Prima ergo feria, dies eſt dominicus, iam tum à primis illis eccleſiæ proceribus inſtitutus, & nuncupatus. Et tum deinceps ſecunda feria, tertia, quarta, quinta, ſexta, & ſeptima, quam ſabbatum Sylueſter vocauit. Dominicus igitur & ſabbatum dies à noſtris frequenti ſermone vſurpantur, poſthabitis primæ, & ſeptimæ feriæ nominibus, vt

bus, vt nouum, & vetus testamentum per eos dies à nobis profiteri innuamus. Preterea, quoniam singuli planetæ singulis horis diurnis, & nocturnis dominari, & præesse ab Astrologis dicũtur, & mortalia vt aiunt disponere: Ideo planetarum, hoc est errãtium stellarum horæ, quæ ab eis planetariæ vocantur constitutæ sunt. Sunt igitur verno tempore solę arietem, Autumno libram ingrediente æquinoctiales horæ, id est pares. Affirmabant insuper Babylonij planetas successiue, & debito seruato ordine per horas diurnas, & nocturnas dominari, quorum ordo hic est, Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna: Vnde communi versiculo dicitur,

Post sim, sum, ultima Luna subest.

Primæ igitur dominici diei horæ Sol dominatur, Venus secundæ, Mercurius tertiæ, Luna quartæ, Saturnus quintæ, Iupiter sextæ, Mars septimæ. Iterum quoque sol dominatur octauæ, atque deinceps: Ita quòd 15. & 22. Sol, Venus verò 23 dominabitur. Mercurius 24. Vnde cum non sint plures horæ in die naturali, relinquitur quòd Luna dominabitur prima hora diei subsequẽtis, à quo dicebatur dies Lunę & inde recipit appellationẽ. Atque pari modo iuxta eandem calculi rationem octauæ horæ & 15. & 22. Vigesimæ verò tertiæ Saturnus, & Iupiter 24. Tum Mars dominabitur primæ horæ insequentis diei. Atque ita Mars ei diei præerit. Tũ simili modo ac via de reliquis septimanæ diebus facias, donec horas quatuor & viginti pertranseas. Iuxta hæc igitur sagaciores medici, cum exhibẽt potiones medicinales, aut phlebotomẽ celebrant, considerare solent, an planeta beneuolus, vel maleuolus dominetur in hora illa. Beneuoli sunt Iupiter & Venus: Maleuoli, Saturnus & Mars. Indifferentes verò Sol, Luna, & Mercurius. Si igitur scire libet cui planetæ debeatur quęlibet hora oblata, scias in primis ex suprà notatis cuius planetæ sit dies præsens, quo cognito noscas ex Astrolabio horam temporalem. Deinde diem planetæ perquire in fronte sequentis tabellæ inscriptum, & horam diurnam tẽporalem in prima linea numeri lateralis: Nocturnam verò in eadem, & sequenti linea per numerum lateralem, & in communi angulo diei & horæ planetam horæ gubernatorem deprehendes. Poteris etiam in articulis digitorum planetam propositæ horæ dominum supputare. Sed quia hæc vulgaria sunt, pertranseo.

Horæ diei.	Dies Solis, dominicalis prima fer.	Dies Lunæ, secũda feria.	Dies Martis, tertia feria.	Dies Mercurij, quarta feria.	Dies Iouis, quinta feria.	Dies veneris, sexta feria.	Dies Saturni, Sabbatum.
1	☉	☽	♂	☿	♃	♀	♄
2	♀	♄	☉	☽	♂	☿	♃
3	☿	♃	♀	♄	☉	☽	♂
4	☽	♂	☿	♃	♀	♄	☉
5	♄	☉	☽	♂	☿	♃	♀
6	♃	♀	♄	☉	☽	♂	☿
7	♂	☿	♃	♀	♄	☉	☽
8	☉	☽	♂	☿	♃	♀	♄
9	♀	♄	☉	☽	♂	☿	♃
10	☿	♃	♀	♄	☉	☽	♂
11	☽	♂	☿	♃	♀	♄	☉
12	♄	☉	☽	♂	☿	♃	♀
1	♃	♀	♄	☉	☽	♂	☿
2	♂	☿	♃	♀	♄	☉	☽
3	☉	☽	♂	☿	♃	♀	♄
4	♀	♄	☉	☽	♂	☿	♃
5	☿	♃	♀	♄	☉	☽	♂
6	☽	♂	☿	♃	♀	♄	☉
7	♄	☉	☽	♂	☿	♃	♀
8	♃	♀	♄	☉	☽	♂	☿
9	♂	☿	♃	♀	♄	☉	☽
10	☉	☽	♂	☿	♃	♀	♄
11	♀	♄	☉	☽	♂	☿	♃
12	☿	♃	♀	♄	☉	☽	♂

Dies hebdomadæ planetis alligantur.

Ex Macrob.o, et Marco Varrone, Rusticos sequi debere negocia quædam potius crescente luna, quàm senescente, quædam contrà.

DIes lunares sunt obseruandi, qui quodãmodo bipartiti sunt. Quod à noua luna crescit ad plenã, & inde rursus ad nouam lunã decrescit, quo ad veniat ad intermenstruum, in quo die dicitur luna esse extrema, & prima. vnde, quædam facienda à colonis potius crescente luna quàm senescente, quædam contrà: vt quæ metas frumenta, & cæduam syluam. Macrob. lumen lunæ extra proprietatem naturę suæ humectat corpora, aquãque parit, vbi lumen solis desiccat, deuoratque: vnde si quis diu sub luna dormierit, ægre excitatur, & fit insano proximus: vnde etiam sylua cædua, aut arbores quæ luna plena, vel luna crescente deiiciuntur (quia tunc humoribus exuperant) inepta sunt fabricæ, quasi nimis emollita per humorum conceptionem, breui etiam tempore carie conficiuntur, termitesque faciunt. ita enim ligni vermes vocantur. Siquidem humidũ ipsum suapte natura & facilius, & citius corrumpitur. Contrà, materia cæsa quũ decrescens luna, perquàm exiguo est lumine, diutius perennat. Nam quòd tunc siccior, atque attenuatior est, non tam facilè corrumpitur: hoc ipsum etiam in conchyliis, cancrisque, atque in vulneribus capitis manifestè cernitur. Democrito placet omnia quæ cæduntur, carpuntur, tondentur, innocentius decrescente luna quã crescente fieri. Et agricolis mos est frumenta de loco aëris colligere, non nisi luna deficiente, vt sicca permaneant. Et per oppositum, illa quæ debent humida conseruari, sicut poma, pira, colligi debent luna crescente, vel plena. Nihil itaque decrescente luna, sed augescente, & super terram existente plantare commodum est. Diophanes nihil esse serendum nisi crescente luna putat. Ego ista etiam inquit Agrasius, non solum in ouibus tondendis, sed in meo capillo à patre acceptum seruo, ne decrescente luna tondens caluefiam. Nam ea decrescente capilli tõsi caluos faciunt. Si verò capillos non renasci, aut saltem tardius crescere voluerimus, sit luna decrescens.

Plantai tempus. Caluesc qui dec scente lu tondetu

Pluuiæ, tempestatumque futurarum signa 21. ex Marone.

MErgorum è flumine celer volatus atque clamor. Fulicę in sicco ludentes, Ardea super nubem euolans. Sydera cadere visa. Albescentes flammarum sub obscura nocte tractus. Paleæ & frondes eleuatæ volitantes: plumæ in summa aqua colludentes. Ex parte Borec̨, Euri, Zephyriq; tonitrus, Grues in aëre fugã agitãtes, vacca in cœlũ suspiciens & captans naribus auras, hirundo lacus circunuolitans, ranæ in limo

querulæ.

querulæ, formica oua extollens, cœlestis arcus apparitio. Agmen coruorũ è pastu rediens, & alis strepens. Fluuiales aues vndis relictis prata quærere, se frustra lauare gestientes. Garrula cornix: cornix sola dispatiata harena, caput vndis obiectans & immergens. Ignis in oleo scintillans, & fungi crescentes, pluuias, & tempestates (vt cecinit Maro) imminere præsagiunt.

Tredecim de fulmine portenta.

DVra consumit, non lædit mollia, ferrum intacto foculo liquefacit: incolumi carne, ossa mollit & consumit. Dolio consumpto vinum immobile gelatum relinquit: quod reliquatum, bibentem aut furere facit, aut necat: è diuerso vinum afflat illæso dolio. Martia Romanorum princeps prægnans, partu in vtero fulmine afflato, illæsa remansit. venenata tacta purgat: vigilans percussum, clausos oculos moriens habet. dormiens verò percussum apertos. Ex opposito iacens conuertitur. Omne animal ictũ fulmine (hoĩe excepto) interit. Nõ feriũtur fulmine laurus, vitulus marinus, & aquila. Quercus autem vel arborum maximè feritur.

Grandinis quinque accidentia.

Deorsum per globos ruit vt crystallus. messem enecat, interdum cum sono & strepitu auditur. Cum pluuia cadit, multimodæ existit figuræ, aliquando hominum, aliquando ferarum effigiem retinens.

Roris, & pruinæ accidentia.

Ros frumenta collecta putrescere facit, sereno fit tempore, ex rore oues letalem fluxum concipiunt. Pruina plærunque fœtet: descendens serenitatem, ascendens futurum indicat imbrem.

Cometæ significationes.

Præsignat bonorum sterilitatem, ventorum impetum, bella, principum letum, & seditiones.

Tu steriles agros, & inania uota coloni,
Siccus & efferuens sæue cometa facis:
Cùm crinem ostentas, tunc uentorum impetus urget
Oppida, tu bella sanguinolenta moues.
Principibus letum, tu seditiosa minaris.
Sic uariis mundus ducitur auspiciis.

Cometæ caussa efficiẽs, sol, planetæ, astra: Materia exhalatio calida & sicca, ob id cometa naturæ est igneæ.

4 *niuis accidentia.*

Nix nimium albet, fortiter visum dispergens. per flocculos cadit, messem auget, et semper in altis manet montibus.

Candida nix nimium, tu fundis acumina uisus.
Tu cadis ut floccus, messibus apta uenis.

Hismaron

Hiſmaron, & Rhodopen, & Caucaſon, Othryn & Alpes,
Præruptos montes tu ſine fine tegis.

Terræ laus.

TErra in mũdi ſede media cõſtituta, rotunda, infima, ſolida, ſtabilis, ſola elementorũ immota, mitiſſima, rerũ omniũ fœcũditate prędita, vna rerum naturę pars, propter eximia in nos merita matris cognomẽto veneratur. Hęc enim naſcẽtes nos excipit, natos delitioſe alit, ſemelque editos perpetuo ſuſtinet, nouiſſimè complexa gręmio, & quaſi à reliqua natura abdicatos, tũ maximè veluti mater operit. Hęc ſola nunquã iraſcitur homini. Aër dẽſatur nubibus, furit procellis, aquę ſubeunt in imbres, rigęſcũt in grãdines, cũ ſtrepitu decidunt, tumeſcũt in fluctus, pręcipitãt in torrẽtes, ignis cũcta exiccat, cũcta cõburit. At terra mitis, benigna, indulgẽs, miniſtra hominũ, herbarũ, florũ arborũ, ſtirpiũ, frugũ, animantiumq; ſedes, & parẽs, nũquã recuſat imperiũ. Hęc nobis odores, ac ſapores pręparat, hęc ſuccos, hęc tactus, hęc colores, hęc bona fide creditũ reddit fœnus, hæc noſtri cauſſa cũcta alit. Quid Arabũ odoramẽta recenſeã? Quid nata Deo thura? Quid Oriẽtis aromata, & medicamina numeroſa, ſine quib⁹ vt nũc eſt, vix vita cõſtiterit? Quid tot, tantorũq; animaliũ & mitiũ, & ferorum, ac cicurũ agmina ſubiiciã? Culta, incultáq; dulciſſima nobis ſuggerit alimẽta, quicqd illi eſt ſumma hilaritate nobis cõdonat, & ſemp homini noua parturit: hęc frugẽ, vinũ, carnẽ, lignũ, lapidẽ, marmor, herbã virentẽ, ferrũ, æs, argẽtũ, aurũ, cæteraq; metalla in eius viſceribus recõdita, margaritas, gẽmas precioſas, & quicquid vitæ hoĩm, nõ modo vtile, ac neceſſariũ, ſed etiã decorũ, ac iucũdũ eſt, abũdè ſuppeditat. Illa medicas fundit herbas, & ſemper homini parturit. Illa ſerpentem homine percuſſo (quod omnẽ excedit admirationis captum) non recipit amplius. Et vt verum fateamur, terra nobis malorum remedium genuit. Plura etiã & largius impertitura, ni principem naturę Deum rebelli animo, atque inteſtabili nulla non hora conuelleret.

Aquarum uirtutes atque utilitates.

Qua ſecũdũ elemẽtũ cęteris oĩbus imperare videtur. Quippe ſi cũ
A Plinio verũ fateri volum⁹, Terras deuorãt aquę, flãmas necãt, ſcãdũt in ſublime, & ipſum quoq; ſibi vẽdicãt cœlũ. Quid eſſe mirabili⁹ poteſt quã ſtare in cœlo aquas? At illę nõ modo ĩ tãtã altitudinẽ pueniũt ipſę, ſed ſecũ piſciũ quoq; examina, & lapides rapiũt. Eędẽ cadẽtes oĩm terra naſcẽtiũ cauſſa fiũt, vt q̃ fruges gignũt, arbores, & plãtas educũt iuuãt, ſordes detergẽt, migrãt in cœlũ, vt vitalẽ aĩam deferãt herbis, oẽſq; terrę vires aquei humoris fiũt beneficio. Ei⁹ vtilitates lõge videntur ignẽ

præſtare,quoniã multa ſunt animalia,quæ abſq; ignis degãt vſu. Degere autem ſine aqua nullum: Quippe ſi fuerint ſine humoris poteſtate, exãguimatáque,exuctáque à principiorum liquore interareſcunt, quin nec plantas ipſas,aut herbas floreſcere citra aquæ humectationem. Qua ex cauſſa Pindarum rectiſſime aiunt dixiſſe,Optima quidẽ aqua. Auctor cũ Paulo Galenus,vnam eſſe bonarum & malarum aquarum cognitionem ſi hyeme quidem calent,frigent verò æſtate. Deinde ſi puræ ſunt,nec colore oblæſo,viti atóve,& ſi nequaquã mala fuerit hypoſtaſis. Item ſi leues ſint: Quando terræ permixtionem coarguit pondus. Conſideratur præterea incaleſcant ne ſtatim,frigeſcántve,huiuſmodi enim præſtare. Præterea,alibi calidæ ſunt,alibi frigidæ,alibi tepidæ,& pene omnium morborum generibus auxiliantur: Aliæ ſulphuris,aliæ aluminis,aliæ ſalis, aliæ nitri,aliæ bituminis,aliæ ferri,aliæ æris, aliæ acidæ ſunt,aliæ ſalſæ,& cunctæ hominũ tantum cauſſa videntur erupiſſe. Generatim neruis proſunt omnes,aliæ pedibus,aliæ coxendicibus,aliæ luxatis,aliæ fractis,aliæ exinaniunt aluos,aliæ ſanant vulnera,aliæ capiti,auribúſq; & oculis priuatim medentur,alię ſterilitatem mulierum,& virorum infamiam abolere produntur. Nonnullæ iuuant calculoſos, aliquæ prohibent abortum. ſunt quæ tollunt vitiligines,aliæ podagricis proſunt,alię tertianas febres diſcutiunt,alię dentes ſiſtunt, alię vngulas etiam iumentorum indurant, alię ſubtiliores faciunt ſenſus,alię memoriam afferunt. Alię obliuionem inducunt,aliæ canoras voces faciunt. Sed vt de cæteris taceamus, aquæ Perottę in agro Viterbienſi deductę,Lethargicos & Hydropicos,& colicos curant. Luxatos ſtatim ſanant,ſcabiem, lichenas,vitiligines mira celeritate tollunt, cruditati medentur, famem ſublato omni faſtidio inducunt,fœcunditatem mulieribus afferunt,venerem ſi debilitata fuerit excitant, calculorum vitia diſcutiunt, Lymphaticos ſubdando mox ſanant,aptiſſime ſtomacho,neruis,vniuerſo corpori. Præter hęc ſubiungere licet ex Pythagora duodecim aquarum miracula. Anigrus(qui & Anagrus dicitur) Theſſaliæ fluuius poſt Centaurorum ab Hercule vulneratorum in eo lotionẽ, aquas impotabiles ſeruat. Hypanis Scytharum maximus fluuius, in Calliopum finibus amara ſcaturigine infamis redditur. Iouis Ammonis fons interdiu friget,& noctibus calet. In Dodone Iouis fons algidus,admotas faces extinctas accendit, & accenſas reſtinguit: Et Athamantis aquæ admota ligna accendunt. Flumen Ciconum in Thracia,res tactas rigeſcere facit in ſaxa. Chratis, & Sybaris Calabriæ fluuij aureos crines inducunt. Salmacis Carię fons in eum deſcendentes effœminatos remittit. Aethiopes lacus,mentis inſaniam & intolerabilem

ſoporem

ſoporem parturiunt. Colophone Apollinis lacus, animos ad diuinationē, & oracula immutat. Clitorius Arcadię fons ſemel hauſtus, vini inducit odium, abſtemióſque, hoc eſt à temeto abſtinentes, bibentes reddit. Linceſtis amnis, vt vinum, bibentes temulentos, & debacchantes relinquit. Phenos Arcadiæ lacus interdiu innoxius, noctu potus morbifer perhibetur.

De Monadis, quaternariique numeri perfectione, ac poteſtate.

MEmoriæ proditum eſt Pythagoram opinatum in numeris maximam eſſe vim, in eóſque referēda omnia, ſyderum, & animalium productiones. De quibus adnotanda diui Auguſt. ſententia: Numeri (inquit) ratio contemnenda non eſt, quæ in multis ſanctarū ſcripturarum locis, quanti ęſtimanda ſit elucet diligenter intuētibus. Nā in laudibus Dei dictum eſt, Omnia in menſura, & numero, & pōdere diſpoſuiſti. Petit Pla to cur ſit homo animal ſapientiſſimū. Suppingit mox reſpōſum, quia (inquit) numerare nouit. Ac vt ab vno exordiamur, quod eſt in hoc genere primordium. Eſt enim numerorū princeps, Monas id eſt vnitas, quæ ad Deum refertur, & omne principium eſſe ac cenſeri diuinū inter Platonis placita ſancitur. Vnitatis ſiquidē natura inſita circūferētię tēperiē, animis virtutē, ſanitatē corporibus, domibus, & ciuitatibus pacem, & animorum gignit cōſpiratū. Subinde, per Monada eſſentiā formámq; res habent, & in quiete, ſtatuque ſunt. Monas item perfectum aliquid ponit, & abſolutum. Nā quodlibet creatū vnū & idem eſt in ſua eſſentia & perfectione. Quin in Parmenide tantā vni tribuit diuinitatem vt dicat vnas ſolum eſſe veras & immortales ſubſtantias, ac à materia diſcretas, veluti Deum angelū quem mētem vocat, & animam. Quid porrò referā de numeri Quaternarij perfectione? Per quē Pythagorei iurabant, quo nihil apud eos videtur eſſe perfectius. quādoquidē dominus Deus artifex eminētiſſimus, mūdum ex 4. elemētis primò conſtituit, quæ ſunt terra, aqua, aër, & ignis. Ea ſunt omniū mixtorū principia cōmunia. Ex quibus 4, prodeūt qualitates primę, ſcilicet calidum, frigidum, ſiccū, & humidū. Ex quibus corpora mortaliū cōpacta ſunt, quorū defectus vel exceſſus morbos gignit. Quod docet Celſus in primo, dū ait. Ex 4. principiis vel ſuperans aliquid vel deficiens aduerſam valetudinem creat, ſanitas verò eorūdē in mediocritate cōſiſtit. Ex illis, 4 naſcūtur humores, videlicet ſanguis, pituita, bilis flaua, & bilis atra, ſuntque propria, & proxima corporis noſtri (vt phyſici pronūciant) elementa. Sanguis in corde, pituita in capite, flaua bilis in iocinore, atra bilis in liene ſedem habet.

Ex quibus ſanitas, & morbi conſiſtunt. A quibus 4.item ſuboriuntur tẽperaturæ ſimplices, calida tantum, frigida tantum, humida tantum, & ſicca tantum. Iterum ex illis ſimplicibus compoſitæ 4.elementorum qualitatibus reſpondentes, Calida & humida, par aëri, & ſanguini, calida & ſicca, ſimilis igni & cholerę, Frigida & humida, ſimilis aquę, & phlegmati, Frigida & ſicca, ſimilis terræ, & melancholiæ. Ex illis quatuor cõſiſtunt morbi ſimplices, & totidem ex iſtis compoſiti. Item quatuor ſunt in toto morbo ſalutari, particularibúſque acceſſionibus tempora, quæ nimirum auxiliis, remediiſúe adhibendis dicata, ſcilicet principium, incrementum, vigor & declinatio. Item 4.ſunt facultates, ſeu vires naturales ex quibus plantæ & animalia gubernantur, Nempe attractrix, retentrix, cõcoctrix, & expultrix. Prima alimentum quod vtile eſt ad ſe trahit, altera illud retinet. Tertia alterat, 4.excrementa ſecernit, expellitque. Quatuor concoctiones (quorundam ſententia) diuerſis locis corporis fiunt, prima in vẽtriculo, ſecunda in meſaraicis venis & caua hepatis parte, tertia in gibba hepatis ac venis hinc deinceps ortis, quarta in extremis corporis terminis, in quibus etiam fit quędam appoſitio, deinde agglutinatio, ac tãdem aſſimilatio. 4 ſunt harum concoctionum excrementorum ſpecies, primæ ſunt alui fęces, quæ per inferiora ſecedunt, ſecundę verò ſunt humores à ſanguine ſecreti, vt pote bilis, & melãcholicus humor. tertię ſunt ſeroſa ſanguinis ſuperflua, quæ vrinæ appellãtur. In quarta & vltima ſuperfluũt tam ea quę latenter et perſpiratione abeunt quum ſubtilia ſint, quàm quę veluti effloreſcũt cum ad cutem promouentur. Ad coctionem quamlibet 4.cõcurrunt cauſſę, vt philoſophorum præcepta tradũt, Nempe agẽtis legitima virtus, Patientis ſuſceptiua diſpoſitio, vtriuſque opportuna propinquitas, & mora, ſeu temporis ſpacium ad ipſam actionem perfecte obeundam. 4 ſunt pręcipua membra, Cor, hepar, cerebrũ, & teſtes, quorum tria prima ſunt ad indiuidui cõſeruationẽ neceſſaria, Et quartum ad ſpeciei perpetuitatẽ facit. 4.hominis ætates numerãtur, Pueritia, pubertas, cõſiſtendi tẽpus, & ſenectus. Quadrifariã Aegyptij totum corpus diuidunt, in caput, manus, thoracẽ & crura. Subinde, annus ſolaris 4.diſtinguitur tẽporibus, quibus Sol per diuerſa cœli ſpacia diſcurrens temperat orbem, Ver, ęſtas, Autumnus & hyems. De quibus Ouidius primo de remedio amo. ſic cecinit,

Poma dat Autumnus, forma eſt meßibus æſtas,
Ver præbet flores, igne leuatur hyems.

Quatuor itidẽ anni mutationes ſunt, ęquinoctium vernũ, æquinoctium Autũn, Solſtitiũ, Bruma: quãdo Sol (Aſtrologorũ opinione) principium

arietis,

arietis,Librę,Cãcri, Capricorni ingreditur. Generalis ergo tẽporis permutatio pręcipue à Sole fit. Cuius appropinquatio calefacit, mora verò vicinitatis deſiccat, remotio infrigidat. Sed mora remotionis humectat. ſecũdũ eius approximationem, elõgationem, vel mediocrẽ quoad nos cõſiſtentiá, 4. diſtingũtur prędicta anni tẽpora. Itẽ terra in medio mũdi exiſtẽs ſecũdũ cœli motũ in 4. regiones ſicuti cœlũ ipſum diuiditur, ſcilicet Ortũ, Occaſum, Septẽtrionẽ, & meridiẽ. De quibus fertur hoc diſtichon,

Ortus, & occaſus Phœbi, ſeptémque triones,
Et uia quæ medium cernit aduſta diem.

A quibus 4. venti cardinales, ſiue primarij ſpirant, Eurus ab oriente, Zephyrus ab occidente, boreas à ſeptẽtrione, auſter à meridie flat. 4. item diſtingũtur à philoſophis lunaris mẽſis ętates, prima, calida & humida: 2. calida & ſicca. 3. frigida & ſicca: 4. frigida & humida eſſe fertur. Pręterea, ex Ariſtotele quadruplex eſt cauſſa, efficiens, Materialis, formalis, & finalis. 4. ſunt Geometriæ principia, pũctus, linea, ſuperficies, corpus. 4 ſunt quę quęrimus & totidẽ quę inuenta ſcimus, Si eſt: Quid eſt, Quia eſt, & propter quid eſt. 4 numerãtur ſciẽtię Mathematicę, Arithmetica, Geometria, Muſica, & Aſtronomia. 4 ſunt mũdi cardines in genituris (vt docet Firmicus matern⁹,) mediũ cœli, imum cœli, ortus horoſcopi, & occaſus. 4 in eligẽdo marito ſpectari ſolẽt, virtus, genus, pulchritudo, ſapiẽtia. 4. itẽ in eligẽda vxore, Nẽpe pulchritudo, genus, diuitię, mores. 4 Paterfamilias in Martialis diſticho comprehenſa poſtulat,

Sit mihi uerna ſatur, ſit non doctiſſima coniunx,
Sit nox cum ſopno, ſit ſine lite dies.

Quatuor modis ſtultitia dignoſcitur, aut cũ nõ venerit in mentem quod oportet, aut ſi venerit nõ temere, aut bonũ cõſiliũ nõ admittere, aut malũ admittere. Hinc Heſiodus ecõuerſo, Optim⁹ ille quidẽ qui ꝑ ſeſe omnia noſcẽs Pręceptor ſuus ipſe ſibi meliora peregit. Rurſus & ille bonus monitus qui recta ſequatur. Qui nõ ipſe ſapit, neq; credit recta monẽti, Hic nullã in partẽ vtilis eſt. 4 felicitatem afferũt, filiorũ multitudo, diuitiarũ affluẽtia, dominatio patrię, & ſanitas. 4 Collegã reſpuunt, dominatus in vrbe, cõiugis amplexus, quęſtus in acquiſitione, & famelicus. 4 ſunt hominũ genera, quibus inuitis cõfertur beneficium, Debitor cũ liberatur à debito, puer cũ verberatur pro delicto, Lethargicus cũ excitatur à ſopno. phreniticus cũ ligatur mẽbro. 4 in vrina pręcipue ſpectari ſolent, Nẽpe color, ſubſtãtia, quãtitas, atq; cõtenta, ſeu hypoſtaſis. 4. medico cõgruunt, morbi cauſſam diligẽter perquirere, Sępe ęgrotum viſitare, medicamenta vt cõgruit exhibere, & ęgrotũ inſtanter cõfortare. 4 perpetuò ægrotum

ſeruare

seruare expedit, vt medico obediat: in necessariis largiter expendat, fiduciam gerat medico,& vt se confortet in ocio. Quatuor doctori congruunt, nempe dicenda prævidere, cui dicat prospicere, quando dicat animaduertere,& dicta sua ordinate proferre. 4 in summo Imperatore seu duce necessaria: Rei militaris sciētia, autoritas, felicitas, virtus. Vnde Diotimus inquit, Tria Regi oportet esse, religionem, iudicium,& exercitum. Primum ad se probandum, secūdum ad suos continendos. Tertiū ad hostes propulsandos. 4 sunt virtutes cardinales, quibus homo humanæ felicitatis gloriam potest assequi, Prudentia: magnanimitas, Continentia, iustitia. 4 corporis gloriosi dotes, Agilitas, claritas, subtilitas, impassibilitas siue immortalitas. Quid porrò amplius de numero referemus quaternario? Potestas eius vt sit miranda, illud potissimū facit, quòd consensu tacito gentes fere omnes pręcipuum Dei nomen 4. modo literis enunciant, quę res citra diuiniorem afflatum nō videtur potuisse cōtingere. Nam quem nos Deum vocamus, Aegyptij Theut. Persę dicunt Syre. Magorum disciplina Orsi. Iam apud Hebręorum gentem celebre est 4. vocalium Dei sacrum nomen, quod inde tetragrammaton dicunt, & alia voce exprimitur, quę Adonai est, quę apud eos tamen Adni scribitur: significat autem dominum nostrū, Gręcis verò θεός appellatur. Arabibus Alla. Iesu autem salutare gentibus nomen ab angelo accepimus. Porrò τετρὰς .i. quaternarius omnis sacer est, ac solidus. Nam quę consistunt, omnia ex puncto producta primum sunt, siquidem punctum fluēs lineam facit, Linea superficiem, superficies solidum: quare perfecta habetur τετρὰς, & quę colatur digna.

FINIS.